# Historiae Deorum Gentilium
## DE VENERE, ADONIDE, VVLCANO, CVPIDINE, GRATIIS, AD C.V. PROPSPERVM PASETHUM, SYNTAGMA DECIMVMTERTIUM.
LILLIUS GREG. GYRALDVS
Prospero Pasetho, V.C. S.P.D.

Accipe et hoc alterum Prosper, V.C. Syntagma, in quo Venerem, Cupidinem, Adonim, Vulcanum, et Charites, qua potuimus breuitate complexi sumus. Iucunda, ut opinor, nec ingrata erit lectio: qua a laboribus publicis Potestatis Tribunitiae, et praelectionibus, possis aliquando, tanquam in diuerticulum (ut certe est) uoluptatis te recipere. Sit utcunque tamen, eodem animo nostra accipias, quo tua mihi frequentibus exhibes, etsi non pares meas esse uires ut deo: debes certe animum, non exile librare munus. quem si cernere queas, dicas, Quam sunt imparia uoluntati munera. Sed recte factum est a magnis philosophis, qui magnanimitatem quidem in magna et ampla dando mentiuntur: sed ea plerunque bona uoluntas, quae parua sunt, maxima esse facit. Vale.

VENUS. ADONIS. VVLCANVS. CVPIDO. CHARITES.

Venus dea a latinis nuncupata, a graecis Ἀφροδίτη, generationis uoluptatisque dea, et formae, credita a gentibus: ideoque dicta Venus, quod ad omnes res ueniat: uel quod per eam omnia proueniant. haec ferme Cicero. Varro uero: Poetae, inquit, de coelo quod semen igneum cecidisse dicunt in mare, ac natam e spumis Venerem, coniunctione ignis et humoris, quam haberent, uim significantes Veneris, a qua ui natis dicta uita, et illud a Lucilio:

Vis est uita, uides, quae nos facere omnia cogit.

Veneris antiquum non fuisse nomen, Cincius et Varro testes sunt, qui nec graecum eius, nec latinum sub regibus fuisse, apud Macrobium testantur: quod [p.532] mirum tamen uidetur, cum Aphrodite toties Homero et Hesiodo nominetur. Sane Cicero quatuor Veneres commemorat, in tertio de Natura deorum. Venus, inquit, prima Coelo et Die nata, cuius in Elide delubrum uidimus. Altera spuma procreata, ex qua et Mercurio Cupidinem secundum natum accepimus. Tertia Ioue nata, et Dione, quae nupsit Vulcano: sed ex ea et Marte natus Anteros dicitur. Quarta, Syria Syroque concepta, quae Astarte uocatur, quam Adonidi nupsisse traditum est. haec quidem totidem uerbis M. Tullius. Venus a Graecis Ἀφροδίτη et Ἀφρογένεια nuncupata est, ab ἄφρω, id est spuma, quod ex Vrani, id est Coeli testiculis et maris spuma ipsa nata fingatur. uide Hesiodi Theogoniam. Alii ἁλιγενῆ, hoc est Saligenam, eadem ratione nuncupant, ut Plutarchus ait. Sunt qui παρὰ τὸ ἀφραίνειν, id est insanire dictam arbitrentur: unde Euripidis illud, τὰ μῶρα γὰρ πάρεστιν ἀφροδίτη βροτοῖς, id est, Nam stulta proxima Venus mortalibus: id quod etiam subinnuit Phurnutus. Aristoteles ideo Aphroditen appellatam dicit, quod seminis natura spumosa sit, id est ἀφρῶδες. qua etiam ratione ipsum semen album est, ut spuma. Sedenim Didymus Aphroditen dictam putauit, παρὰ τὸ ἁβρὸν τῆς δαίτης, hoc est, a mollicie uitae, media litera in aspiratam uersa in compositione: id quod et in simplicibus aliquando inuenimus, ut βρύγες pro φρύγες. Veneris etiam simulachra uariis diuersisque modis antiqui effinxerunt: nunc puellam in concha e mari exeuntem, hoc est Anadyomenen: nunc ut mulierem, manu concham tenentem, rosis floribusque coronatam, pone quam Charites, et hinc et hinc Cupido et Anteros. Phurnutus illi etiam comites facit, Mercurium et Pitho, ut paulo post dicam. Curru etiam uectam aliquando legimus, columbis tracto, ut in sexto facit Apuleius: quod et Phurnutus interpretatur, propter columbae puritatem et castitatem, propterque oscula, ut in Peristerae puellae fabula, in hanc auem conuersae, Lactantius grammaticus retulit. Alii cygnis uehi dixere, ut Horatius in tertio Odarum, item Ouidius et Statius: hic in Epithalamio dicens, Amycleos ad frena citauit olores: ille in Metamorphoseis,

Cypron olorinis nondum peruenerat alis.

Sed et Philostratus in Cupidinum imagine cum argenteo speculo effinxit, et cum sandaliis inauratis, cum aureis fibulis. Talem uero ego aliquando me uidisse remetior in uetustis quibusdam nomismatibus. Idem etiam Philostratus in secundo libro Imaginum, eam ex ebore in myrtetis effinxit. Plutarchus autem in praeceptis connubialibus, Venerem scribit testudinem pede calcantem Eleis Phidiam effecisse, ut domesticae custodiae et silentii mulieribus symbolum esset. Idem Plutarchus in libro de Iside et Osiride, de hac Venere agens, ita interpretatur: quod uirgines custodia indigeant, nuptas uero quod deceat domus gubernatio, [p.533] et silentium. Huiusce

Veneris meminit et Pausanias in Eliacis libro secundo. Describitur item Venus libro sexto et decimo ab Apuleio. Sane phanum in Saxonia fuit, ubi tale Veneris simulachrum in Saxonum historiis fuisse legi. Stabat dea in curru nuda, myrto capite cincta, ardentem facem pectore, dextera mundi figuram, sinistra mala aurea tria ferebat. post erant nudae Gratiae, nexis manibus poma gestantes, auersis inuicem uultibus dona conferentes. iugales quadrigae aderant, gemini cygni, totidemque columbae. At uero Scopas Pandemion Veneram et popularem uel communem arieti insidentem finxit. Mercurium etiam aliquando cum Venere erigere consueuerunt antiqui, quod orationis ac sermonis suauitate amor, et amoris copula, nuptiaeque quodammodo condire uideantur. Hinc etiam Pitho, id est Suadela cum Gratiis, ut diximus, in eius deae comitatu affingebatur, ut etiam a Phurnuto traditum est. ait enim, eas παρέδρους καὶ συμβώμους, hoc est assistentes, et in eisdem aris cum Venere coli. Cestum etiam cingulum, seu baltheum Veneri attribuerunt antiqui, uarium et pulcherrimum, ut poeta Homerus in Iliade describit, de quo et Graeci et Latini adeo multa nugati sunt. Ab hoc et nostri incestum deduxere. sic uero uocatus Cestus, ueluti κεκοσμένος, id est ornatus: seu διακεκεντημένος, seu ut uulgata habent exemplaria, διακέντιμος, quod uim uariam habet et colligandi et constringendi. de cesto et in Cytheraea loquemur. Myrtus etiam Veneri arbor attribuebatur, uel propter quandam amoris conciliationem et naturam: uel quod planta sit maritima, unde nata sit Venus. Rosae quoque illi dabantur, de quibus legitur in poematiis Vergilianis, elegia et Poeta et dea digna. Quin et fabulae de rosa leguntur, ut in Centuria Miscellaneorum annotauit docte Politianus, sed et Constantinus Caesar in Geoponicis. Philyram etiam Phurnutus ait Veneri assignari, quod apposita amorem inducat, et ad plectendas coronas sit idonea. quod ex Sapphico Horatii coroborari potest,

Displicent nexae philyra coronae.

Phurnuti tamen codices non Philyra, sed φιλύτριαν habent, uel φιλυτρὴν: quae quoniam uoces parum notae sunt, ideo ego aliquando φοινίκα, id est palmam legebam, propter ea uerba Varronis de Lingua Latina de Venere Victrice, cui coronam et palmam assignare uidetur. Nunc nihil statuo, immo illud N. L., quod in iudiciis antiqui solebant, ascribo. Cauebant etiam ueteres ne Veneri buxum offerrent, ut scilicet πύγμην, id est pugillatum et palaestram Veneream expiarent. Scribit Plato in Symposio et repetit Phurnutus, quod amantum iuramenta a deis minime rata esse iubentur. quod et poeta Naso scribit, et Tibullius his uersibus:

Nec iurare time, Veneris periura uenti
Irrita per terras et freta summa ferunt.

[p.534]

Postremo sues et porcos Venus auersatur, propter sordes et immunditiam, uel propter Adonidis interitum. tametsi in Theocriti carmine dimetro inducitur Venus apro ignoscere, qui Adonim puerum interfecerat, quod is se nimio amore necem puero fecisse iurarit. Phurnutus in Cerere ideo a sue interemptum Adonim ait, quod segetibus semper sus nocere soleat. Eusebius libro tertio Praeparationis euangelicae Veneris fabulam ita exponit: Venerem, inquit, dicunt generandi uim possidere, seminis et cupiditatis causam. mulierisque ei formam accomodant, propter generationem. pulchram effingunt, quia Phosphorus est, quae pulcherrima est in coelo stella. illi et Cupido assistit, propter cupiditatem. ubera et partes genitales obteguntur, quia seminis et nutritionis haec membra causa sunt. nata uero e mari perhibetur, quod elementum humidum calidumque est, et motu crebro spumas eiicit, quae res est spermatis symbolum. Sane ἀφροδίτης ἥρας, hoc est Veneris Iunonis uetus sacellum in Laconia fuisse perhibetur, qua parte Eurotas maxime stagnare consueuit, ubi matres pro nuptis filiis sacra facere solebant, ut in Laconicis tradit Pausanias. Sed nos ab his ad institutum iter accedamus. Pausanias in Boeoticis, tria in primis Veneris cognomina enumerat, Vraniae, Pandemi, Apostrophiae: quarum simulachra ait ex lignis nauium Cadmi, Harmoniam Cadmi uxorem constituisse, de quibus nos hic seorsum agemus.

Vrania, id est coelestis Venus: quidam sic appellari autumant ab οὐρανοῦ, id est coelo, ex cuius a Saturno amputatis testiculis, et in mare deiectis, ut dictum est, Venerem natam fabulantur. hinc et Coeligena uocabatur, ut Varro testatur. uel ut idem subiungit, quod de coelo semen igneum cecidisse in mare dicitur, ac natam e spumis Venerem coniunctione ignis et humoris. Alii potius ex puri et sinceri amoris, quasi coelestis, et a corporis illecebris alieni significatione dictam uolunt. nam Plato,

et a Platone alii, duplicem Venerem constituerunt, coelestem et terrestrem. De hac ergo Vrania Venere coelesti, Pausanias cum alibi, tum praecipue in Attica et Boeoticis, item Artemidorus libero secundo Onirocriticon: et Lucianus cum in Amoribus, tum in meretriciis dialogis, ubi ait huic deae rem sacram fieri, et Hortensi Veneri. Existimat uir doctissimus Alciatus, in suis in Cornelium Tacitum scholiis, eo loco quo de Paphia Venere agitur, uocem illam Venerianam, et reliqua, ita legi oportere: Vraniam, unde Paphia Venus, inquit, Vraniae nomen sumpsit: et Pausaniam citat. Pausaniae uero uerba haec in Attica leguntur. Non multum, inquit, a Vulcani templo Vraniae Veneris aedes abest. Assyrii primum huius Vraniae cultum instituerunt, quos Paphii in Cypro imitati sunt, ac Phoenices, qui Ascalonem in Palaestina tenent, a Phoenicibus [p.535] Cytherii edocti, eadem sacra susceperunt, quae Aegeus Atheniensibus tradidit, quod eius deae ira et se liberis caruisse (nullum enim umquam suscepit) et sororibus male euenisse arbitrabatur. Statua quae Pausaniae aetate spectabatur, ex Pario erat marmore, opus Phidiae. Sequitur eodem loco Pausanias. De regione, inquit, quam Hortos appellant, et Veneris templo, nullam ex antiquitate causam commemorant, ac ne de Venere quidem, quae iuxta templum posita est, quadrangulari forma, quali sunt Hermae. epigramma tamen testimonium facit, Venerem coelestem maximam esse Parcarum natu. eius autem simulachrum in Hortis, opus fuit Alcamenis, cui sacra Nephalia celebrabant: ita appellata, quod sobrii et abstemii ea celebrarent. Aegyptii quoque Vraniam Venerem coluere, teste Aeliano, qui de bobus agens scribit, in Aegypti uico Schussa nuncupato, non magno illo quidem, sed eleganti certe, quique in Hermopolitana nomo, id est praefectura censebatur, Venerem religiose et sanctissime coli solitam, quam Vraniam appellabant. atque uaccam etiam ideo uenerabantur, quia affinitatem et conuenientiam cum dea ipsa habere existimetur: nam huiusmodi animal tanto impetu in Venerem incitatur, ut cum maris mugitum audit, ad coitum uehementissime inflammetur: et haec quidem Aelianus. nomen quoque quo uaccam nuncupabant, in Api deo recensui. Porro scribit Hesychius, Scythas Vraniam, id est coelestem Venerem ἀρτιμήασαν, uel ut alii legunt ἀρτίμπασαν uocasse. Herodotus uero tradit in primo, Scythis, qui templum in Ascalone Veneris depraedati fuerant, deae ira foemineum morbum cum omni posteritate immissum: qua ex re Enarees, id est execrati, cognominati sunt. Idem Herodotus in Thalia, Vraniam ait ab Arabibus uocari ἀλιλὰτ. quare considerandum apud eundem in primo, an Alilat, an Alytta legendum, quo loco scribit: Mylitta Venus ab Assyriis nuncupata, ab Arabibus Alytta, a Persis Mitra. Vna Babyloniis haec lex fuit, execranda quidem: nam mulieribus omnibus indigenis fuit communis, ut semel in uita ad Veneris templum desiderent, et cum externis uiris consuetudinem haberent. Deinde et historiam subdit, de diuitibus, quae uehiculis illuc deuehebantur, et alia quae ridicula mihi uidentur. Sane et Origines, ac item Arrianus, Vraniam deam hanc Arabum fuisse testantur. Sed enim et Babylonii Venerem Salambonem uocabant, ut est a Lampridio proditum. Omni planctu Syriaci cultus, et iactatione, Heliogabalus Imperator exhibuit. Ζαλαμβὼ, ut Hesychius et Phauorinus tradunt, Venus a Babyloniis dicitur. Sed et περιβασώ Venus uocatur: a quibus populis, non prodit item Hesychius.

Πάνδημος ἀφροδίτη, hoc est Pandemus et popularis Venus. Theocritus in Epigrammate simul meminit huius Pandemi et Vraniae, de Chrysogonae oblatione, [p.536]

ἡ κύπρις οὐ πάνδημος, ἱλάσκεο τὴν θεὸν εἰπὼν

οὐρανίην, ἁγνᾶς ἄνωεμα χρυσογόνας. ıd est, haec Venus haud Pandemus, diuam dicito placans Vranien, castae oblatio Chrysogonae. Sane et Pandemos quosdam dies nuncupatos legimus, quibus mortuis epulas publice offerebant, unde et illius nomen: de quibus beatus Epiphanius in Ancorato suo, libro sic appellato: Pandemis, hoc est, popularibus diebus, cibaria quidem in totum exurunt, uina uero libant, nihil commodi mortuis ex hoc afferentes, immo potius se ipsos laedentes: uerumtamen coguntur a consuetudine, confiteri mortuorum resurrectionem. atque haec quidem Epiphanius. Diximus hoc nomine Venerem ab Harmonie Cadmi constitutam. Apollodorus tamen in libro de Deis, Athenis ait sic uocari, quod ad forum antiquum posita esset, in quo soleret πᾶν δῆμος, hoc est omnis populus ad conciones conuenire, quas ἀγορὰς uocabant. Nicander

uero in tertio Colophoniacon, apud Athenaeum: Solonem ait πάνδημον ἱερὸν deae Veneris constituisse ex pecunia prostitutarum: qua de re et carmina leguntur comici Philemonis. Πάνδημον uero uniuersalem et publicum significat, ut scribit Arpocration. hinc Domitius in Pausaniae Attica, communem Venerem est interpretatus. hanc deam Pandemon, Artemidorus in libro de Somniorum interpretatione inter νοητοὺς, id est intellectiles connumerat. quidam generationi et coniunctioni attribuant. Pandemo rem sacram facit Lucianus in Dialogis amatoriis. Sed et Phurnutus ait: Venus Vrania Pandemus et Pontia uocatur, propterea quod in coelo, terra et mari uim habere existimaretur. Hinc deprehendere potes eos hallucinari, qui apud Phurnutum legunt παναιτίη pro ποντία. Sed hi in codices inemendatos impegere, ut in plerisque aliis.

ἀποστροφία ἀφροδίτη, quam nos uertibilem Venerem dicere possumus. haec tertia est, quae ab Harmonie Cadmi uxore constituta fuit. Haec eadem homines a scelestis et impiis operibus, et desideriis parum aequis, malisque cogitationibus auertere putabatur: unde et illi nomen inditum, quod in Boeoticis scribit Pausanias. Idem tamen in Attica ἐπιστροφίαν nominare uidetur, quam ego Verticordiam latinorum facile crediderim: tametsi Domitius, Venerem curatricem interpretatus est, nisi forte ipse ἐπιτροφίαν, non ἐπιστροφίαν legere maluerit. Porro quoniam hic de Verticordia meminimus, hic eam tibi subscribemus.

Verticordia Venus, de hac ita Lactantius Coelius grammaticus libro Thebaidos V. Habet, inquit, Venus ignes cupiditatis, nunc odii secundum fidem sacrorum, uel precationum Veneris Verticordiae praecipue, quae rogatur ut amores iniiciat, et rursum ut auferat. Si enim potestas est dandi, nihilo minus ius est tollendi, et amore sublato aut naturaliter odium residet, aut mittitur. ut Vergilius,

Quae mihi reddat eum, uel eo me soluat amantem.

atque hactenus super ea Papinii uerba, [p.537]

Nec uultu, nec crine prior soluisse iugalem

Ceston, et Idalias procul ablegasse uolucres Fertur.

Dicta uero Verticordia uidetur, quod corda ad pudicitiam uerteret. Valerius Maximus libro VIII. Cum senatus, inquit, libris Sibyllinis per decemuiros inspectis censuisset, ut Veneris Verticordiae simulachrum consecraretur, quo facilius uirginum mulierumque mens a libidine ad pudicitiam conuerteretur, et ex omnibus matronis centum, ex centum autem decem sorte ductae, de Sulpitia Seruii Paterculi filia, Q. Fuluii Flacci uxore, sanctissima foemina, iudicium fecerunt, cunctis castitate ut praeferretur. Plinius Sulpitiae huius libro VII. Naturalis historiae meminit, et huius historiae: sed Verticordiae non meminit. Iulius uero Obsequens de hac dea his prope uerbis: Aedem, inquit, Veneri Verticordiae factam, cum tres uno tempore Vestales uirgines nobilissimae, cum nonnullis equitibus Romanis incesti poenas subiere. Verticordiam circumscribit Ouidius quarto Fastorum libro,

Cumaeam ueteres consuluistis anum.

Templa iubet fieri Veneri, quibus ordine factis,

Inde Venus uerso nomina corde tenat.

Murtia Venus Romanis colebatur, quae Myrtia prius dicta fuerat, ut est apud Plinium, a myrto scilicet Veneri dicata: iccirco et pro uerbena in coniunctione Sabinorum et Romanorum electa fuit. Plinii uerba sunt ex XV. Naturalis historiae, ut Hermolaus castigat. Quin, inquit, et ara uetus fuit Veneri Myrteae, quam nunc Murtiam uocant. Idem tradit Plutarchus in causis Romanorum. Murcea uero dea secordiae, fuit alia a Murtia, cuius in quarto de Ciuitate dei D. Augustinus meminit: Deam, inquit, Murceam, quae praeter modum non moueret, ac faceret hominem (ut ait Pomponius) murcidum, id est nimis desidiosum et inactuosum. Festus: Murceae deae sacellum erat sub monte Auentino, qui ante Murcus uocabatur. T. Liuius libro primo: Tum quoque multis milibus Latinorum in ciuitate acceptis, quibus ut iungeretur Palatio Auentinus, ad Murceae datae sedes. P. Victor in XI. regione urbis aedem Murciae constituit. Apuleius autem libro VI. Metamorphoseon, cum dixit Metas Murtias, Veneri dicatas intellexit, teste Hermolao.

Astarte Venus, ut scribit Theophilus, simulachrum Veneris, quae colebatur a Sidoniis, astri figura: ipsum uero astrum Venerem putant, nomine ἑωσφόρος: et eam quoque Moabitae colebant. Theologus uero ita: τί φήσω πρὸς τοὺς τὴν ἀστάρτην προσκυνούντας, ἢ τὸν χαμὸν βδέλυγμα σιδωνίων. ιd est: Quid dicam ad eos, qui se ad Astarten adoraturi inclinant, uel ad Chamum,

abominationem Sidoniorum? Epiphanius contra haereses, de Sabellio agens: Adorauerunt, inquit, Beelphegor, et Chamos, et Astarten, et Muzuroth, et Neastho, et Beelzeboth, et reliqua gentium [p.538] simulachra. De Astarte meminit et Aelianus, qui eam Syriam deam uocauit, id quod et Lucianus de dea Syria, quo libro uarias opiniones recenset. Artemidorus quoque Daldianus de Somniorum interpretatione, item Eusebius libro primo de Praeparatione euangangelicae capitulo secundo, Marcus Tullius III. de Natura deorum, Tertullianus Septimius in Apologetico, et demum Hermolaus Barbarus in Plinii libro V. capite XXV. Quare magis mirum est, in Plauti Mercatoris commentario scribere, se nescire Astarten deam: quam et D. Augustinus in libro Iudicum, Iunonem esse putant. Plutarchus in uita M. Crassi de prodigiis agens, quae ipsi acciderunt in Syria, deam hanc ita describit: Venus, inquit, seu Iuno, ab incolis dea nuncupata, quae nascentibus rebus principia conferre putatur, haud obscuris ambagibus dinoscenda monstrauit. Lucianus Syriam deam et Lunam uidetur existimare. Subdubitare me Herodianus facit, qui in historiis Antonium Heliogabalum ait Astroarchen deam, Lunam scilicet et Vraniam nuncupatam, Romam afferri iussisse: an Astroarche et Astarte eadem sit. qua de re nihil statuo. De dea porro Syria si plura cupis, Luciani libellum legito, et VIII. Metamorphoseon Apuleii. Fuit et Astarte Aethiopiae insula, ut Martianus in Nauigatione, id est περίπλῳ scribit, et Stephanus.

Anaitis Venus uocata a Persis, ut in historiis scribit Agathius, ex Beroso et Athenocle Symmacho, qui Assyriorum Medorumque res antiquissimas conscripserunt. Strabo libro XII. de Zela agens urbe, olim insigni et sacra: In ea, inquit, templum est Anaitidis, quae ab Armeniis colitur. hoc in loco sacra cum sanctimonia maxima celebrabantur, et iusiurandum de rebus maximis hic fiebat, etc. Idem Strabo libro XV. de Cappadocia agens: Haec, inquit, sacra in Anaitidis et Amani delubris fiunt. nam et horum ibi delubra sunt, et Amani statua in pompam ducitur. et haec se uidisse, ipse scribit Strabo. In graeco codice haec nomina corrupte leguntur, hoc est, Naitidis et Omani. huius deae sacra Sacarum dicebantur, et dies festus Saca, quod eo die Cyrus rex Sacas deuicit et deleuit. Scribunt praeterea alii, ei deae antiquos dedicasse ex praestantioribus puellas, quae ibi prostarent: quae deinde uelut sacrae uiris tradebantur, eas accipientibus hilare maritis. tale quiddam de Lydis etiam prodit Herodotus. Plinius libro XXXIII. capite IIII. Aurea statua prima omnium, nulla inanitate, et antequam ex aere aliqua illo modo fieret, quam uocant Holosphyraton, in templo Anaitidis posita dicitur, quod in situ terrarum nomine hoc significauimus, numine gentibus sacratissimo. quo loco multa Hermolaus: libentius enim ille legit Anaeitis. Sed quid dicam? ille Dianam, non Venerem putat. Sed Hermolaus secutus Pausaniam in Laconicis, qui in ancipiti esse tradit Cappadoces, et qui Euxinum accolunt, cuius sit simulachrum: et Lydos, quibus est ἀρτέμιδος ἱερὸν ἀναίτιδος. [p.539] Sed et Plutarchus in uita Artaxerxis ita: (ne te Lapus fallat) Dianae enim in Ecbatanis, quam Anaeitin uocant, sacerdotem legit, ut castam reliquam uitam degeret.

Amathusia Venus celebri graecis et latinis cognomine uocitata, quae et interdum Amathuntia dicta est. Catullus:

Nam mihi quam dederit duplex Amathuntia curam.

Vergilius in Ciri, uel quisquis est, nam inepte quidam negant:

Nam te iactari, non est amathusia nostri Tam rudis.

Amathusia uero ab insula, uel urbe potius, in qua summa ueneratione colebatur, nuncupata est. de qua Vergilius,

Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atque Cythera.

Catullus in annales Volusii,

Nunc o coeruleo creata ponto,
Quae sanctum Idalium, Vriosque apertos,
Quaeque Ancona, Gnidumque arundinosam
Colis, quaeque Amathunta, quaeque Golgos,
Quaeque Dyrrhachium Adriae tabernam,
Acceptum face, etc.

Fuit uero ἀμαθοῦς Cypri ciuitas, ut Stephanus scribit, uetustisssima, in qua Adonis Osiris uenerabatur: qui cum Aegyptius esset, Cyprii et Phoenices proprium fecerunt. dicta est autem urbs ab Amatho Herculis filio, uel a Cinyrae matre Amathusa: alii ab Aeriae filio, ut in Paphia Venere dicam.

Schoenida Venerem cognominatam sunt qui credant, apud Lycophronem, quod obseruat Hermolaus, a schoeno, id est scilla, quae dentibus prodest, et eius cibo accendatur

libido, quem secutus est Coelius. hinc forte Schoeniculae, uel ut Festus ait, scorta plebeia ac uilia, ab unguento, quo utebantur, uilissimo. Plautus in Penulo, Misero schoeno delibutas schoenicolas sordidas.

Dione Venus, et Dionaea uocata a matre: res est notissima. hinc apud Orpheum in Argonauticis Arete Alcinoo dissuadet, ne Medea Colchis poscentibus reddatur: Nam uolentibus, inquit, soluere amores, hic ualde est succensa Dionaea Aphrodite. θυμαίνει μάλα γάρ σφιδιωναία ἀφροδίτη. Vergilius, Sacra Dionaeae matri.

Pythionicae Veneris templum et aram construxit Harpalus Macedo, Alexandri satrapa, qui Pythionicen puellam amauit, et mortuae monumentum πολυτάλαντον, hoc est sumptu multorum talentorum confecit, ut Possidonius scribit: ut uero Theopompus, templum et aram posuit cum huiusmodo inscriptione, πυθιονίκης ἀφροδίτης. Sed de hac Pythionice longe plura Athenaeus libro Dipnosophiston XIII.

Cytheraea, Cythereia et Cytheris Venus, uaritatis interdum nonnihil syllabis, cognominata est a Cythera, in quam primum (ut Festus scribit) [p.540] concha delata est. Martialis,

Leuior et conchis Galle Cytheriacis.

Pausanias in Laconicis: Cythera insula est a regione Boearum, quae urbs est in extremo sinus Boeotici, sic uocata a Boeo uno Heraclidarum, qui eam condidit. in eo ergo fuit sanctissimus Vranies templum Veneris, et templorum omnium quotquot in tota Graecia, uetustissimum. ipsius uero deae simulachrum erat armatum. Hesiodi quoque interpres in Theogonia, Cythera, inquit, est Cypri ciuitas. uocatur autem Cythera, ut Phurnutus ait, παρὰ τὸ κεύθειν καὶ κρύπτειν τὸ αἰσχρὸν: hoc est, ab occultando turpi, siue cupidine: uel, inquit, ἐκ τοῦ κύειν, quod hi prope mare nati sint, Venus scilicet et Cupido. Sedenim et Hesychius: Cythera, inquit, insula est Cretae, et Thessaliae ciuitas. quidam uero insulam Promalei aiunt. Promaleum autem Laconiae promontorium. Cytheraea Venus iuxta Homerum quidem, non quod Cytheris appulerit, sed quod occuletur, quasi κευθόμενος. habet enim in se ipsa cestum, uinculum amatoriae amiciciae ἐξηρτημένον, id est perficiens, et iccirco uarium: uel, quod amatores intra se amatorios affectus occulunt. haec Hesychius ferme. Sed de cesto sumus etiam ante locuti.

Philomedea Venus frequenti cognomine nuncupata a Graecis poetis, a Coeli, id est Vrani pudendis, ex quibus natam putabant. ea uero τὰ μήδεα graece dicuntur, unde etiam Aphrodite et Aphrogenia, ut iam dictum est. Alii a risu dictam tradunt, ut Suidas scribit. μηδέω enim rideo, id quod et Phurnuto placet. Ad hoc alludit noster Horatius libro primo Carminum,

Siue tu mauis Erycina ridens.

quo loco Porphyrion ait, hoc Homeri esse, secundum illud φιλομειδὴς ἀφροδίτη. Hesiodi tamen interpretes, et Phauorinus, φιλομηδὴς (aiunt) a pudendis Saturni deducit, et Boeotorum more. Nam Hesiodus plerunque ita locutus est, et in hoc nomine penultima per ει diphthongum scripsit, et μ duplicauit propter metrum. hic est Hesiodi uersus,

ἠ δὲ φιλομμήδεια, ὅτι μηδέων ἐξεφαάνθη, id est, Atque Philomedea, quod ex testiculis edita est.

Epitragiam Venerem Plutarchus in magnis Parallelis scribit uocatam, cum Apollo Delphinius Theseo respondisset, nauigaturo in Cretam, ut deligeret sibi nauigationis ducem Venerem, et ad mare capram imolaret, statim ea in marem est mutata. ἀπὸ τοῦ τράγου uidelicet denominata ἐπιτραγία, id est ab hirco. id sexta instantis Munichionis, hoc est mensis Martii VI. contigisse, idem Plutarchus est auctor.

Pastophoros Veneris epitheton, quasi dicas ferens thalamum. παστὸς enim thalamum significat. hinc παστοφόρος ᾿Αφροδίτη quod παστὸν, id est thalamum curet.

᾿Ανόσια ᾿Αφροδίτη, καὶ ἀνδροφόνος, hoc est impia et homicida Venus [p.541] cognominata. Nam ut Timaeus prodidit, cum in Thessalia a mulieribus quibusdam ob zelotypiam Lais occisa fuisset, quod scilicet ab iuuenibus Thessalis ardentius amaretur, acubus percussa ligneis in aede Veneris. unde postea factum est, ut aedes ipsa Veneris impiae, hoc est, ἀνοσίας ᾿Αφροδίτης nuncuparetur. Ostendebatur autem apud Peneum eius statua, hydriam lapideam continens: et hoc carmen,

τῆσδέ ποθ΄ ἡ μεγάλαυχος ἀνίκητόστε πρὸς ἀλκὴν,

ἑλλας ἐδουλώθη κάλλεος ἰσοθέου.

Λαίδος, ἣν ἐτέκνωσεν Ἔρως, θρέψε δὲ Κόρινθος,

κεῖται δ΄ἐν κλεινοῖς θετταλικοῖς πεδίοις.

Cuius carminis hic ferme sensus, quod magnifica ac uirtute inuicta Graecia in seruitutem redacta sit, forma diuinae Laidos, quam Cupido genuit, et nutriuit Corinthus: ea uero iacet in Thessaliae inclytis campis. Epigramma non illepide a Leon. conuersum est.

Inuictos potuit forma quae uincere Achiuos,
Istic eximiae Laidos est tumulus.
Cui patria est Ephyre, genitor deus ipse Cupido,
Thessaliae in campis nunc tamen illa iacet.

De Laide haec et alia apud Athenaeum leges. eadem fere in ἐρωτικῷ Plutarchus, nisi quod templum ait appellatum ἀνδροφόνου Ἀφροδίτης, id est homicidae Veneris. Pausanias autem ipse in Corinthiacis nonnihil diuersa scribere uidetur. ait enim in Thessaliam ab Hippophato, uel Hippostrato (ut alii tradunt) amatam, profectam esse. Porro de Laide Aristophanis interpres, et Suidas, plura: et nos nonnihil in Melanide. nunc tantum quae ad Veneris cognomen pertinere uidebantur, attulimus.

Καλλίπυγος Ἀφροδίτη, hoc est, ut sic dicam, Pulchriclunis Venus. Fuit apud Barbaros templum Pulchriclunis Veneris, hac ratione constitutum. Fuerant agresti cuidam filiae duae formosae, quae inter se natium seu clunium pulchritudine certarent. quae cum in publicam uiam uenissent, adolescenti cuipiam inde eunti se ostenderunt, ut is iudicaret, utra esset καλλιπυγοτέρα, id est pulchriorum natium. Iuuenis utramque accurate intuens, maiorem natu clunium specie praestare pronunciauit: eiusque simul est amore correptus. et domum reuersus, rem fratri significauit: qui urbe exiens, ad rem huiusmodi uisendam prodiuit. hinc et ipse similiter alterius est amore captus: quare ambo fratres ambas sorores, agrestes puellas, etiam inuito patre uxores duxere. quae mox fortunis affluentes, ἱερὸν τῆς Ἀφροδίτης καλλιπύγου, id est templum Veneris pulchriclunis condidere, propterea quod puellae ipsae a ciuibus Pulchriclunes, hoc est καλλίπυγοι dicerentur. historiam hanc in Poetis scenicis attigimus, in Carcini uita. Eandem et Athenaeus libro duodecimo Dipnosophiston ex Cercida Megalopolita in Iambis recensuit. [p.542]

Armata Venus, hoc est graece ἐνόπλιος Ἀφροδίτη, quae ὁπλοφοροῦσα in primo ab Apollonio dicta, et ὁπλισμένη a Pausania. Armata ergo Venus a Lacedaemoniis culta fuit, de qua sic in primis Lactantius tradit. Cum, inquit, Messenios obsiderent Lacedaemonii, et illi furtim deceptis obsessoribus egressi, ad diripiendam Lacedaemonem cum cucurissent, a Spartanis mulieribus fugati fusique sunt. cognitis autem hostium insidiis, Lacedaemonii sequebantur. his armatae mulieres obuiam longius exiuerunt: quae cum uiros suos cernerent parare se ad pugnam, quia putarent Messenios esse, corpora sua nudauerunt, at illi uxoribus cognitis, ex aspectu in libidinem concitati, sicut erant armati, permixti sunt utrique promiscue (nec enim uacabat discernere) sic iuuenes ab iisdem antea missi cum uirginibus, ex quibus sunt Parthenii nati: propter huius facti memoriam, aedem Veneri armatae et simulachrum posuerunt. haec Lactantius. meminit et Pausanias in Laconicis: qui inter caetera ait, Armatae Veneris delubrum in templo antiquissimo fuisse in colle, in quo superaedificatum tabulatum erat Veneris Morphus, de qua in hoc dicturi sumus. Meminit item armatae Veneris Fabius Quintilianus, qui et hoc ait, inde argumenta declamationum antiquos desumere solitos, cur armata apud Lacedaemonios Venus. Legitur hac de re epigramma Ausonii tale:

Armatam Venerem uidit Lacedaemone Pallas:
Nunc certemus, ait, iudice uel Paride.
Cui Venus, Armatam tu me temeraria temnis?
Quae, quo te uici tempore, nuda fui.

quod epigramma ex graeco desumptum est, quod ἀδέσποτον in quarto Graecorum epigrammaton legitur:

Παλλὰς τὰν Κυθέρειαν ἔνοπλον εἶπεν ἰδοῦσα,
Κυπρι, θέλεις οὕτως ἐς κρίσιν ἐρχόμεθα;
ἥ δ΄ ἀπαλὸν γελάσασα, τί μοι σάκος ἀρτίον αἷρειν,
εἰ γυμνὴ νικῶ, πῶς ὅταν ὅπλα λάβω.

Legitur et alterum Iuliani Aegyptii ex hyparchis, cuius sunt hi duo extremi uersus,

ὑμεῖς δ΄ἐν θαλάμοισι Λακωνίδες ὅπλα Κυθείρης
ἀζόμεναι παῖδας τίκτετε θαρσαλέους.

hoc est,

Vos uero in thalamis Cythereidos arma Lacaenae,

Dum pudet, audacem gignite progeniem.

Barbata Venus, et Mascula, teste Macrobio dicebatur, super eo Vergilii uersu ex secundo Aeneidos,

Descendo, ac ducente deo flammam inter et hostes Expedior.

Idque Calui ac Leuini auctoritatibus conprobat, et Aristophanis, qui ᾿Αφροδίτον, non ᾿Αφροδίτην hanc deam appellat. Sed plane et Aristoteles [p.543] primo Elenchorum idem affirmat, eodem auctore Leuino, ubi de soloecismo agit: hoc idem et Seruius grammaticus ostendit. Iulius quoque Firmicus eadem, ut puto, ratione biformem Venerem dixisse uisus est, libro tertio. Quin et alios deos pari modo aliquando a scriptoribus enunciatos uidemus, hoc est mares et foeminas, ut iam in Luno et Luna scripsimus. Illud porro scribit Suidas, Veneris statuam ideo effingi solitam cum pectine et barba, quod Romanis aliquando mulieribus pestilens irrepsit pruritus, quem graeci (ait) κνήφην uocant: quo morbo cum pili deciderent omnes, pectinum non erat usus: (ut hoc tempore, quo scribimus haec, morbus est, quo tam mares quam foeminae toto corpore glabri et depiles fiunt, qui morbus in primis ex Venerea contage debacchatur.) Quare mulieres tam deformi ac inuenusto morbo plurimum angebantur. hinc Veneri uota facientes, deae miseratione eis pili iterum succreuerunt: et propterea mulieres hac peste liberatae, deae simulachrum cum pectine posuere: eidemque deae simul barbam affinxere, ut dea mascula et foeminea instrumenta haberet, ut omnis generationis praeses esse crederetur. Ideoque superiora corporis cingulo tenus maris speciem praeferebat: reliquum uero, id est inferiora foeminae. Legimus quoque apud Thussas in Aegypto cornutam Venerem cultam, cui et uacca immolabatur, et in Nitriotica praefectura ouis, ut alibi repetam.

Genitrix Venus a Romanis culta, cuius meminit Macrobius. Genitricis Veneris templum Caesar dicauit, ut Suetonius scribit. Appianus et Dion, item Plinius libro trigesimosexto Naturalis historiae: M. Varro magnificat Archesilaum, L. Luculli familiarem, cuius proplasticen pluris uaenire solitam ab artificibus ipsis, quam aliorum opera. ab hoc factam Venerem genitricem in foro Caesaris, et prius quam absolueretur, festinatione dedicandi positam. Idem alibi Plinius, eundem tradit Caesarem Veneri Genitrici thoracem dicasse, factum ex margaritis Britannicis.

Cnidiam Venerem non Cnidii tantum coluere, sed totus ferme orbis, multaque eius templa habuere: quorum uetustissimum Veneris Doritidos cognominatae, quam Dorida appellat Tatianus Assyrius. Secundum Acreae, recentissimum Gnidiae. Sed Gnidii ipsi Euploeam nominabant. Scribit Athenaeus XIII. Dipnosophiston Praxitelem sculptorem Gnidiam Venerem effinxisse ex forma Phrynes, quam efflictim amabat, atque etiam in basi Cupidinis, sub scenam theatri epigramma inscripsisse. Sed tota Gnidiae Veneris descriptio non aliunde petenda est, quam ex Luciani Amoribus, quo loco eius deae et templum et lucum et statuam egregie elegantissimus scriptor est executus. Si quem piget illa quaerere, haec saltem nostri Plinii ex trigesimosexto [p.544] libro breuissime audiat. Praxitelis, inquit, aetatem inter statuarios diximus, qui marmoris gloria superauit etiam semet. opera eius sunt Athenis in Ceramico: sed ante omnia, et non solum Praxitelis, uerum et in toto orbe terrarum Venus, quam ut uiderent, multi nauigauerunt Gnidum: duas fecerat, simulque uendebat, alteram uelata specie, quam ob id quidem praetulerunt optione, quorum conditio erat, Coi, cum alteram etiam eodem precio detulisset, seuerum id ac pudicum arbitrantes. Reiectam Gnidii emerunt, immensa differentia famae. Voluit eam postea a Gnidiis mercari rex Nicomedes, totum aes ciuitatis alienum, quod erat ingens, dissoluturum repromittens. omnia perpeti maluere, nec immerito: illo enim signo Praxiteles nobilitauerat Gnidum. Aedicula eius tota aperitur, ut conspici possit undique effigies deae, fauente ipsa (ut creditur) facto. nec minor ex quacunque parte admiratio est. Ferunt amore captum quendam, cum delituisset noctu, simulachro cohaesisse, eiusque cupiditatis esse indicem maculam. Sunt in Gnido et alia signa marmorea illustrium artificum. Liber pater Bryaxidis, et alter Scopae, et Minerua: nec maius aliud Veneris Praxitelicae specimen, quam quod inter haec sola memoratur. atque haec Plinius, ut caeterorum plurima mittam, nam nihil omnino notius nec Graecis, nec Latinis.

Sicyonia Venus, a Sicyoniis et culta et nuncupata, eius deae templum duae tantum

mulieres ingredi solebant, quarum altera deae antistes erat, tota uita coelebs: altera et uirgo ministra, quae Lutrophora dicebatur: caeteri omnes pro foribus supplicabant. Deae effigies sedentis ex auro confecta, Canachi opus, altera manu papauerum capita, altera malum tenebat, in summo capitis uertice poculum gestabat. sacrificia uero huic deae ex omni animantium genere, praeter sues: ex iunipero sacrum adolebatur, et herba paederote, quae fagi habet folia. sed minora, prini maiora, id est ilicis, querna specie, altera parte sub nigra, altera subalbida, qualia uidelicet populnea. haec Pausanias et Leon.

Κωλίας Ἀφροδίτη, hoc est, Colias Venus a graecis, sed in primis ab Atticis colebatur, de qua haec fere a Pausanias in Attica: Colias, inquit, promontorium Atticae, XX stadiis ab urbe distans, quo Medorum disiectam classem maris aestus detulit, ubi Coliados Veneris templum, et dearum quae Genetyllides uocabantur, fuit. ab his nihil differre uidentur deae illae, quae a Phocaensibus in Ionia Gennaides appellabantur. Arpocration quoque deam a promontorio denominatam scribit, quod sit ex metaphora κώλου, id est membri nuncupatum. huius Demosthenes in Neaerae oratione meminit. Aristophanis uero interpretes Venerem Coliada ideo cognominatam ferunt, ab adolescente quopiam Attico, qui a praedonibus captus, Veneris auxilio ab eorum manibus liberatus est. Praedonum enim principis [p.545] uxor, uel ut alii scribunt, filia, eius amore correpta, eum impune abire permisit. Hinc Coliada Venerem a κώλοις, id est membris solutis nuncupauit. Sunt qui tradant Coliada locum fuisse sic uocatum, quod membrorum effigiem prae se ferret. Non desunt qui putent, ab Ione sacrificante appellatam, quod cum sacram rem faceret, eam hostiae partem coruus abripuit, quae Cole dicitur: et in eum locum deposuit, qui Colias postea est appellatus. Lucianus in Amoribus nomen a promontorio deducit. Idem Strabo, et Hesychius, et Stephanus, qui κωλιὰς ita appellatum ait, quod similis locus sit hominis κώλῳ, id est membro. Fuit et ibidem Cereris templum πολύστηλον, id est multis columnis ornatum.

Ἐξώπολις Ἀφροδίτη, hoc est, extra urbem posita Venus. haec Athenis fuit, ut testatur Plinius libro trigesimosexto, his uerbis: Alcamenen Atheniensem, quod certum est, Phidias docuit, in primis nobilem, cuius opera Athenienses complura in aedibus sacris posuere: praeclaramque Veneris imaginem extra muros, quae appellatur Aphrodite Exopolis.

Hortensis Venus, uel potius in hortis posita. graece enim ἐν κήποις Ἀφροδίτη. Lucianus in primo de Imaginibus, et item secundo. Illud est, inquit, Veneri Gnidiae, atque ei quae est ἐν κήποις. Idem Lucianus in dialogis meretriciis, Mater et Musarium: Pandemo, inquit, Veneri capiam candidam: Vraniae uero, id est coelesti, et ei quae in hortis, τῇ ἐν κήποις, utrique iuuencam. Sic autem a loco, ut est apud Pausaniam in Attica, qui se nullam eius templi causam edidicisse ait. Sed nec de Venere quidem, quae iuxta templum posita fuit, quadrangulari figura, etc. Ego putauerim ideo Venerem eam habuisse cognominis rationem, quod, ut ait in primo de Re rustica Varro,Venus sit hortis praeposita, propter generationem. Quin et Naeuius, ut est apud Festum, Venerem pro oleribus posuit, ut Cererem pro pane, et Neptunum pro piscibus: dicens coquus, Edi Neptunum, Cererem, Venerem. Sed et Varro in libro de Lingua latina, Vinalia, ait, rustica dicuntur ante diem duodecimum Kal. septemb. quod tum Veneri dedicata aedes, et horti eius tutelae assignantur, ac tum sunt feriati olitores.

Praxis Venus cognomine, ab Actione uidelicet denominata, cuius aedes in Attica fuit, teste Pausania, post Bacchi templum, et simulachrum ex ebore.

Ἑλικῶπις Ἀφροδίτη, sic appellata Venus a nigris oculis, ut apud Pindarum in Pythiis obseruant interpretes, in eius hymni initio, qui Xenocrati Agrigentino uictori canitur, super ea uerba, ἑλικώπιδος Ἀφροδίτης. frequens omnino graecis poetis epitheton: sicut etiam illud ἑλικοβλέφαρος, quod a superciliis pulchris et arcuatis, teste [p.546] Hesiodi commentatore super illud Theogoniae,

καὶ Θέμιν αἰδίην, ἑλικωβλέφαρόν τ´ Ἀφροδίτην,

Et pudibunda Themis, curuis ciliisque Aphrodite.

Curuis autem, id est pulchris, uel a parte totum: uel sumpta metaphora a uitibus, in quibus helices et capreoli. Est et apud Homerum.

Nicophorus Venus, id est uictoriam ferens colebatur, teste Pausania in Corinthiacis, quam ferunt ab Hypermestra dicatam. nam illa cum patris imperium contempsisset, a patre fuit ad

Lycei forum citata. putabat quippe eius salutem non modo periculosam, sed et infamem sibi futuram. qua ex re ab Argiuis absoluta, νικοφόρον Ἀφροδίτην, id est Venerem uictoriam afferentem, denominatam dedicauit. Eadem Hypermestra et Dianae cognomine Pithus, id est Suadelae, simulachrum eandem ob causam dicauit, quod scilicet Lynceum seruauerit, contra patrem Danaum. De Nicophoro uero Ioue, suo loco scripsi.

Catascopia Venus culta a Graecis hac ratione fuit, quod in quo loco se Hippolytus exercere consueuerat, Phaedra illum spectare et uidere poterat. quare cum ibi constructum templum fuisset, ab ea speculatione Venus Catascopia appellata est, auctor Pausanias.

Morpho est Venus cognominata apud Lacaedemonios. uetustissimum in colle aedificatum templum fuerat, in quo superconstructum tabulatum, Morphus Veneris sacellum: cuius simulachrum fuit sedens, in capite tegumentum habens, et ad pedes pedicas. Sunt qui historiam in Tyndarum referant, qui uinculis eiusmodi mulierum constantiam ac stabilitatem assimularet. nam quod Veneri ipsi Tyndarus uincula pedibus iniecerit, ut filiarum opprobria ulcisceretur, parum a scriptoribus probatur. Pausanias. Morpho hanc armatam legimus, ut supra ostendimus. Quin etiam caeteros deos deasque lanceam tenentes effingebant iidem, significantes, omnes esse bellica uirtute praeditos, atque itidem esse debere ciues in sua R.P.

Migonitis Venus cognominata in Migonio, loco maritimo Laconiae, ut ait Pausanias, ubi templum Veneris fuisse scribit, quod ab Alexandro Paride factum tradunt. prope hoc templum Menelaus post Troiam captam annis VIII, Thetidi ac Praxidicae erexit simulachra.

Symmachia Venus ideo appellata, quod in bello etiam auxiliatrix sit. hanc Mantinenses summo honore coluere, ut in Arcadicis Pausanias prodit, et quod in Actiaco bello Romanis affuerit.

Byblia Venus nuncupata, de qua Lucianus in eo qui est de dea Syria, ita meminit: Vidi, inquit, in urbe Bybli templum ingens deae Veneris, cognomine Bybliae, in quo et ritus et cerimonias in Adonim peragunt. ubi et fabulae reliquum exequitur: ne ego longior sim.

Elephantina Venus ab urbe Aegyptia denominata, ut putatur. Describitur Elephantina Venus a Philostrato in secundo de Imaginibus, [p.547] item ritus et sacra, tum etiam habitus illius, et puellae molles, quae illi deseruiunt, et sacra canunt, tum praeterea et alia multa.

Architis Venus apud Assyrios culta, ut Macrobius testatur, quae olim magna ueneratione uiguit: mox a Phoenicibus culta, una cum Adonide, quem quotannis lugeri etiam sacra Hebraeorum testis est historia, quo in loco multa Hieronymus. Simulachrum huius deae in monte Libano fingebatur, capite obnupto, specie tristis, faciem manu laeua intra amictum sustinens, lachrymae uisione conspicientium manare credebantur. quod uero in Libano culta fuerit, docet etiam Musaeus in poematio Herus et Leandri, et Lucianus de dea Syria. quo loco inter caetera fluuium ait ex monte Libano in mare deferri, fluuio nomen Adonis, qui quotannis cruore infectus in mare exit: ipsumque mare, qua lapsus est, purpureum reddit. eo tempore Adonim ab Apro saucium fuisse, indigenae autumant. Caetera apud Lucianum lege. de Adonide uero seorsum aegimus.

Erycina Venus cognominata ab Eryce monte Siciliae, in quo Aeneas matri templum construxerat, ut Vergilius canit,

Erycino in uertice sedem Fundabat Veneri Idaliae.

Polybius in primo, in Erycis uertice planiciem fuisse scribit, ubi Erycinae Veneris templum, quod sine controuersia omnium Siciliae templorum locupletissimum atque ornatissimum fuit. Diodorus Siculus Erycem ait Veneris et Butae filium fuisse, qui monti, ut etiam Seruius testatur, nomen dederit, et matri templum, quod tamen Aeneae adscribit Vergilius. De hoc templo plura Diodorus, qui inter caetera et hoc ait, quod a primordio eius templi nunquam per tot saecula imminuta sit gloria, sed semper aucta. nam praeter ea quae Eryx ipse, et Aeneas, Siculi ipsi et Athenienses deinde, ac demum Romani multo honore et cultu illud honestarunt: et caetera, quae idem scriptor exequitur. nonnulla etiam M. Cicero in Verrinis, deque Veneriis illi sacratis. Fuit et Romae Veneris Erycinae templum, ut Strabo in sexto testatur, eius et Ouidius in Fastis et Amoribus meminit. Liuius inquit libro secundo, tertiae Decadis, Tum aedes uotae Veneri Erycinae, aedemque Fabius Maximus dictator uouit: quia ita ex fatalibus libris edictum fuerat, ut is uoueret, cuius maximum

imperium in ciuitate esset. Idem libro tertio: Interea duumuiri creati, Q. Fabius Maximus et Attilius Crassus, aedibus dedicandis, Menti Attilius, Fabius Veneri Erycinae: utraque in Capitolio est, canali uno discretae. Altera fuit Romae Venus Erycina ad portam Collinam, quam eodem Liuio auctore libro decimo, quartae Decadis eodem anno quo Aquileia colonia in agro Gallorum est deducta: L. Portius, L.F. Licinus duumuir dedicauit: uota erat ab Cos. L. Portio, Ligustino bello. De hac Ouidius, [p.548]

Templa frequentari Collinae proxima portae
Nunc decet, a Siculo nomina rege tenet.

Fuit praeterea et Psophide Arcadiae Erycinae Veneris templum, ut Pausanias docet: quo argumento utitur, eam urbem a Sicula muliere nomen habuisse, quae ibi Erycinam Venerem erexit. Erycinae frequens est mentio. Catullus,

Spinosas Erycina serens in pectora curas.

Horatius,

Siue tu mauis Erycina ridens, etc.

Argynnis Venus cognominata est, ab Argynno pueri nomine, de quo apud Athenaeum libro decimotertio legimus, quod puer fuerit ab Agamemnone rege amatus, qui cum frequentius nataret in flumine Cephiso, periit. quo in loco eum sepeliuit Agamemnon, ibidemque Veneris Argynnidos templum construxit. quam fabulam etiam inter Poetas retulimus. hinc illud Propertii sanius intelligitur,

Sunt Agamemnonias testantia littora curas,
Qua notat Argynni poena natantis aquas.

Stephanus quoque in libro De urbibus, ἄργεννον ait filium fuisse Leuconis Athamantis, qui fuit Sisyphi, qui fuit Aeoli, Boeotium puerum, amatum ab Agamemnone: qui cum in fluuium, Cephisum ingressus esset, interierit: a quo Argennida Venerem denominauit. Dicitur et Argynnis. Aristophanes tamen ἀργύννεις cum diphthongo protulit. haec quidem Stephanus. Qua ex re eorum falsum esse patet figmentum, qui confingunt, Argynnum Dianae indignatione summersum, quod in eius contemptu esset ausus fretum ingredi, quod dea aestuosum fecisset, ob interemptam ceruam, sepultum in insula Arginusis. Et propterea Propertianum uersiculum ita legunt,

Qua notat Argynni poena minantis aquae.

Plutarchus in eo qui inscribitur ὅτι ἄλογα λόγῳ χρῆται, id est, quod ratione irrationabilia utantur, huius historiae meminit: sed pueri nomen Argaeum, non Argynnum facit. uel altera, non eadem est fabula. Porro et Herodotus Arginussam ait, coelestem Venerem a Scythis uocari. Argem passam legis tamen Origenes libro sexto, ex eodem Herodoto, ut alibi ostendi.

Victricem Venerem cultam a Romanis legimus, cuius aedem (si recte remetior) Porphyrion fuisse ait in theatro Pompeii. meminit Plutarchus in ipsius Pompeii uita. Plinius libro octauo, de elephantis: Pompeii, inquit, altero consulatu, dedicatione templi Veneris Victricis, pugnauere in circo XX. aut ut quidam tradunt, XVII. et caetera pulchre. Superioribus annis Romae effossum fuit marmoris frustum, in quo inscriptum erat, Veneris Victricis. Non eqidem ausim statuere, an graece haec sit dicta Nicophoros Aphrodite. Vidit in uetusto Imp. Numeriani nomismate, in cuius tergo erat inscriptio, [p.549] Veneri Victrici. Erat uero imago stolata, quae dextra Victoriolam porrigebat, sinistra nescio quid hac forma # Caelius noster putabat umbilicum esse, qua specie apud Paphum colebatur, teste Tacito, ut docui alibi. Ego speculum esse arbitrabar, quo de speculo supra sum locutus. Varro quoque, si modo ad rem facit, de Lingua latina. Hinc comicos Victrix Venus: uidelicet ne haec non quod uincere uelit Venus, sed quod uincere ipsa uictoria, ab eo quod superati uincuntur. utrique testis poesis, quod et Victoria et Venus dicitur Coeligena.

Melanis, quae et Melaenis, Venus cognominata fuit ideo, ut tradit Pausanias in Arcadicis, quod hominibus non omnino diurni concubitus, ut belluis, sed nocturni et abditi ut plurimum conueniant. Colebatur uero in primis a Corinthiis. Tradunt deam hanc per quietem Laidi nunciasse, futurum esse ut aliquando talentorum non paruam copiam compararet: id quod et non multo post euenit. Lege Athenaeum, qui adeo eam formosam ait fuisse, ut pictores eam adirent, quo uel eius pectus et mammas imitarentur. Pausanias uero in Corinthiacis ait: Cranion cupressorum nemus ante urbem fuisse, in quo Bellerophontis lucus, et Veneris Melanidos templum, ac Laidis monumentum, insculpta leaena, quae prioribus pedibus arietem

complecteretur. qua de re etiam Alciati extat epigramma, quod hic libenter ascripsi:

Quis tumulus? cuia urna? Ephyraeae est Laidos. et non
Erubuit tantum perdere Parca decus?
Nulla fuit tum forma, illam iam carpserat aetas,
Iam speculum Veneri cauta dicarat anus.
Quid scalptus sibi uult aries, quem parte leaena
Vnguibus apprensum posteriore tenet?
Non aliter captos quod et ipsa teneret amantes:
Vir gregis est aries, clune tenetur amans.

Subiungit et hoc idem Athenaeus, alterum esse in Thessalia Laidis monumentum. ipsam enim in Thessaliam accessisse ait, amore Hippostrati captam. Quidam non Hippostrati, sed Eurylochi, siue Aristonici scripserunt. alii Hippophati, quae inuidia ac zelotypia a Thessalis mulieribus occisa, ut in Anosia Venere relatum est. Sed de Laide satis. Scribit idem Pausanias in Boeoticis, Thespiis fuisse Melaenidis Veneris templum.

Dexicreontis Venus in Samo colebatur, sic ab euentu nuncupata. nam Dexicreon quidam circulator, id est ἀγύρτης et mendicus, Samias mulieres luxu ac petulantia perditas, sacris quibusdam ac piaminibus expurgauit: unde Dexicreontis Venus denominata. alii Dexicreontem Nauclerum quempiam fuisse tradunt, qui cum negotiandi [p.550] gratia in Cyprum peruenisset, et onus in nauim esset impositurus, Venus iussit ut aquam tantummodo in nauim ipse inferret, statimque oram solueret. Ille uero deae paruit, aquam intulit. cumque summa tranquillitate nauigaret, reliquis mercatoribus sitientibus propter aestum, unus ipse aqua abundabat, qua caeteris aestuantibus siti diuendita, magnam argenti copiam coegit: qua et statuam deae erexit, quam de suo nomine Dexicreontis Venerem appellauit. Plutarchus auctor in Quaestionibus.

Zerynthia Venus appellata est, ut Suidas ait, et Zerynthion et Zerynthon antrum, in quo canes sacrificabantur, ubi et Corybantum et Hecates mysteria agebantur, ut in Hecate copiosius retulimus, ex Lycophrone, et eius interprete Isaacio, itemque ex Stephano. Theophilus tamen et Phauorinus, Zerinphan Venerem et ζηρίνφιον antrum uocant. Puto autem mendum subesse. Sunt et Zerynthia littora apud Ouidium de Tristibus primo,

Inde leui uento Zerynthia littora nacta
Threiiciam tetigit fessa carina Samon.

Alii licet aliter legant. Ouidio consentit Phauorinus. nam Zerinthium Thraciae ascribit. Sane et apud Hesychium lego Zerenen, hoc est ζειρήνην Venerem in Macedonia uocari.

Λαδωγενὴς Ἀφροδίτη, Hesychius et Phauorinus tradunt Venerem nuncupatam Ladogenen, quod prope Ladonem fluuium in Arcadia nata est.

Nephthe ab Aegyptiis Venus uocatur, quam et finem, seu mortem, alii Victoriam nuncupant, de qua Plutarchus, in eo qui inscribitur de Iside et Osiride: quam et quinto loco natam ait, et cum Typhone coli. Hesychius tamen Venerem ait ἀθώρ ab Aegyptiis uocari: unde Athyr mensis, qui in nostrum nouembrem ferme cadit. Est apud Epiphanium libro tertio aduersus Haereses, Senephthe: putarim ego legendum Se Nephthe: Alii, inquit, Tithrambo, Hecaten interpretantes: alii Senephthy, alii Thormutidi sacra faciunt, alii Isidi.

Libitina Venus a latinis existimata fuit, ea quae sepulchris praeesset, ut copiose docuimus in nostris Sepulchralibus. Sed et hoc loco repetenda, et addenda quaedam. Haec quidem dea et ingredientibus in uitam, et egredientibus praeesse iudicabatur. unde etiam ἐπιτύμβια Delphis cognominata: cuius etiam fuit statua, ut ex Plutarcho docuimus. nescio uero an haec eadem sit, quam M. Varro Libentinam Venerem uocasse uidetur, a Libendo denominatam. Meminit et Cicero de Natura deorum. Veneri Libentinae lucus Romae fuit, ut Festus ait. Fuit et Lubentia, cuius Plautus bis, ut puto, meminit: item Gellius in Atticis noctibus et Apuleius. Sed et Horatius Libitinam uitare dixit, pro mortem effugere, ut et eius interpretes testantur. [p.551] Hinc libitinarii, de quibus in Sepulchralibus actum est. Seneca in sexto de Beneficiis, ait uota Libitinariorum, pro eo quod illi multos desiderent mori. Ab hac dea Libitinensis porta Romae appellata fuit, cuius Lampridius meminit in Commodo.

Basilis Venus a Tarantinis uocata fuit, ut ait Hesychius. unde et lusus quoddam genus, quo ii qui reges ac milites imitabantur, utebantur: id est, cum ducta sorte aliquis rex creatur, et imperat ei qui deinde simili sorte et ipse rex imperat, quod lusus genus inter Iustiniani leges

quidam trahere nisi sunt, ut titulo de ludo aleae, etc. nam Regindalia esse existimatur, quae βασιλίνδα graece a Polluce, Suida, aliis dicta est. Etsi amicus meus Rhindalcha, a distortis naribus, quasi Rhinochalca, libentius legere consueuerit: et nescio quo pacto ad cottabum transferre uoluerit. Cum priore sentit Alciatus.

Ἔφιππος Ἀφροδίτη, id est Equestris Venus, ab antiquis effingebatur, nam Veneris filius Aeneas, cum occasum uersus nauigasset, equum mox conscendit, et hac statua matrem deum honorauit, ut Suidas scribit.

Elimaea Venus: Appianus in historia Syriaca. uide in Diana Elimaitide, ex Hieronymo, et aliis. Fuit et Pyrenaea Venus, cuius templum in Galliae descriptione Strabo commemorat libro quarto, a Pyrenaeis montibus, ut uidetur, nuncupata. quin idem Strabo Aphrodisium memorat Veneris Pyrenaeae promontorium. meminit et Ptolemaeus.

Πόρνη Ἀφροδίτη, id est meretrix Venus cognominata fuit ab Abydenis, ut Pamphilus et Clearchus in mythicis tradunt. Nam cum Abydena ciuitas forte in seruitutem incidisset, meretricum arte liberta fuit. quare factum est, ut ciues in rei memoriam et monumentum, construxerint fanum Πόρνης Ἀφροδίτης. Pluribus ab Athenaeo res exposita est, libro decimotertio. Cur non potius Meretrix Venus, quod haec prima, ut in historia sacra continetur, artem meretriciam instituit, auctorque mulieribus in Cypro fuit, uti uulgo corporum quaestum facerent, ut Lactantius et Seruius scribunt. D. uero Aurelius: Tres (inquit) Veneres: una uirginum, quae etiam Vesta est: alia coniugatorum: alia meretricum, cui etiam Phoenices donum dabant de prostitutione filiarum, antequam iungerent eas uiris. Iustinus et Lactantius Cyprias uirgines hoc facere ferme scribunt. idem et Seruius. Strabo, Armenias et Assyrios. Herodotus, Lydos. Angilas et hoc in Africa factitasse, Solinus et Mela sunt auctores. qua enim nocte nuberent, foeminas prostituebant: quod et legimus quosdam hoc tempore facere, in Hispanis, Lusitanisue nauigationibus. Scribit Iustinus, Locrenses bello pressos uouisse, festo Veneris filias prostituturos, si uictores fierent: id quod et alios fecisse mihi uideor legisse. Adeo gentes ante lucem editam, in tenebris [p.552] caecutiebant, stultaque deis suis uota faciebant.

Sycensis Venus: Sycae, quae Punica ciuitas fuit, fanum Veneris fuisse proditum est, in quo se matronae conferebant, atque inde procedentes quaestum dotis corporis iniuria contrahebant, honesta nimirum tum inhonesto uinculo coniugia iuncturae. hoc ferme ex uerbis Valerius Maximi in secundo.

Ἑταίρα Ἀφροδίτη, id est Amica Venus ab Atheniensibus colebatur, ut Apollodorus scribit. meminit et Hesychius. Sic uero appellata, quod amicos et amicas coniungeret. Eualces uero in Ephesiacis prodidit, in Samo templa aedificata Veneri Hetaerae, quod et Athenaeus repetit in Coenis. De Ioue Hetaerio, suo loco scripsimus. Sane ἑταίρα uocabulum est, quod tam in bonam quam in malam partem accipimus, ita ut sodalem et meretricem significet. Sane graeci πώλους amicas nominant. nam meretrices πώλους Veneris nuncupant, ut Hesychius notat. Nos pullos, pueros etiam uocamus. Festus: Pullus Iouis uocabatur Q. Fabius, cui Eburno cognomen erat, propter candorem, quod eius natis fulmine icta erat. Antiqui puerum, quem quis amabat, pullum eius dicebant.

Idalia, et Acidalia Venus uocata: Idalia, ab Idalio Cypri nemore, de quo Vergilius primo Aeneidos et Seruius, et Plinius. Acidalia uero ait Seruius in eo Vergilii, At memor ille matris Acidaliae. Acidalia, inquit, Venus dicitur, uel quia iniicit curas, quas Graeci ἄκηδας dicunt: uel certe a fonte Acidalio, qui est in Orchomeno Boeotiae ciuitate, in quo se Gratiae lauant.

Golgia Venus, uocata fuit a ciuitate Cypri, sic a Golgo Adonidis et Veneris filio appellata, ubi colebatur Venus. Meminit in decimoquinto Edyllio Theocritus,

δέσποιν᾽ ἣ γόλγον τὲ καὶ ἰδάλιον ἐφίλασας,
ἄιπειναν τ᾽ ἔρυκα, id est

O dea quae Golgon colis, Idaliosque recessus,
Sublimemque Erycem.

Quo in loco haec eadem ferme interpretes. Stephanus uero: Golgi, id est Golgoi, inquit, ciuitas Cypri, a Golgo duce Sicyoniorum coloniae. Dicitur et Golgon neutro genere, unde est Golgia Venus. gentile nomen Golgius, Golgia, et Golgeis Ionice. Catullus Golgos numero plurium usus est. tametsi ex nostris quidam Colchos scribere maluerunt, quos tamen in Plinii castigationibus Hermolaus docere potuisset. Catullus,

Quaeque regis Golgos, quaeque Idalium frondosam.

Meminit et Lycophron in Cassandra.

Pelagia Venus dicta, ut Artemidorus libro secundo de Insomniis ait, quam Marinam dicere possumus. unde etiam ἐπιποντία teste Hesychio, et Phauorino, dicitur. quin etiam eadem ratione ἁλιγενής [p.553], quasi dicas Saligena, uocatur. ad haec et Hermionii, ut Pausanias scribit, Pontiam et Limeneiam coluere, cui ante nuptias uirgines, et uiduae, si nubebant, sacra facere consueuerant.

Cypris Venus frequenti cognomine dicta, ut ait Theophilus, quod parere faciat, ἡ τὸ κυεῖν παρέχουσα: quod et Phurnutus innuit, idemque fere in Homerum grammatici dicunt. hoc est, ueluti κυεῖν πορίζουσα. uel quod in Cypro colebatur, unde et Cypria interdum dicta. Tibullus in secundo,

Et faueas concha Cypria uecta tua.

Item quod in Cypro genita, κυπρογενὴς. uide Hesiodum, et Festum. Lactantius uero Venerem ait in Cypro primum omnium artem meretriciae instituisse, mulieribusque suasisse, ut corpore quaestum facerent, ne sola uideretur impudica. Seruius item et Iustinus scribunt, uirgines in Cypro statutis diebus ad maris littus ire solitas, ut ex prostitutione dotalem pecuniam pararent.

Scotia Venus, cuius templum apud Aegyptios fuit, ut scribit Hesychius, a tenebris uidelicet. Venus enim in tenebris et abdito peragenda.

Calua Venus ab euentu, culta a Romanis. nam urbe a Gallis occupata, obsessi in Capitolio Romani, cum ex mulierum capillis tormenta fecissent, aede Veneri Caluae consecrarunt. Lactantius auctor in primo Diuinae institutionis. Historiam copiose Vegetius Renatus in IIII. de Re militaria recitat. Et Caluam Venerem sub tecto nominare religio fuit.

Aurea Venus cognominata Latinis, et Graecis χρυσῆ, in primis Vergilio, Homeroque, ut notat apud Latinos Seruius, et Eusebius X. Praeparationis euangelicae. Homerus in hymno πολύχρυσον uocat. Pindarus uero in Pythiis ἀργυρόπεζαν, id est argenteos pedes habentem, uel albos et pulchros.

Syria Venus, ut Diodorus Siculus scribit, cognominata, cuius uerba ut sunt a Poggio exposita, haec sunt: Venus in Sicilia commorata est circa Erycem, in Cypro circa Cythera ac Paphum, in Asia autem circa Syriam: ob hasque peregrinationes Venerem tum Erycinam, tum Cytheream, tum Paphiam, tum Syriam incolae appellarunt. haec ille. Crediderim ego hanc deam Syriam esse. quare si uidetur, cum ea, id est Astarte, coniunge.

Paphia Venus nuncupata, ut Diodorus ait, quod ipsa peregrinata sit circa Paphum. Est enim Paphus urbs Cypri. Paphum et Palaepaphum Strabo celebrat: Paphum quidem ab Agapenore conditam, Palaepaphum uero uetustiorem, Veneris templo illustrem. De Agapenore et Pausanias in Arcadicis, qui ipsum Ancaei filium scribit, Lycurgi nepotem, qui capto Ilio in Cyprum tempestate delatus est, et Paphum urbem condidit, et fanum in urbe [p.554] opulentissimum. Plinius libro secundo: Celebre fanum habet Veneris Paphos, in cuius quandam aream non impluit. De utroque, oppido et fano, poeta in primo Aeneidos,

Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque reuisit

Laeta suas, ubi templum illi, centumque Sabaeo

Thure calent arae, sertisque recentibus halant.

Sunt qui tradant, quod Aerias uetustissimum Paphiae templum posuerit, et post eum filius Amachus Amathusiam Venerem denominarit. Sed libet hoc loco ascribere, quae Cornelius Tacitus de Paphia Venere prodidit, libro decimooctauo: Haud fuerit, inquit, longum initia religionis, templi situm, formam deae (neque enim alibi sic habetur) paucis disserere. Conditorem templi regem Venerianum, uel Vranum (ut castigauit Alciatus) uetus memoria, quidam ipsius deae nomen id perhibent. fama recentior tradit, a Cinara sacratum templum, deamque ipsam conceptam mari huc appulsam: sed scientia arteque haruspicum accitum et Cilicia Myram intulisse, atque ita pactum, ut familiae utriusque posteri cerimoniis praesiderent. mox ne honore nullo regium genus peregrinam stirpem antecelleret, ipsa quam intulerant, scientia hospites cessere. tantum Cinarades sacerdos consulitur: hostiae, ut quisque uouisset, mares deliguntur. certissima fides hoedorum fibris: sanguinem arae offundere uetitum, precibus et igne puro altaria adolent. nec ullis hymbribus, quanquam in aperto, madescunt. simulachrum deae non effigie humana: continuus orbis, latiore initio, tenuem in ambitum metae modo exurgens. Et ratio in

obscuro. hactenus Tacitus. Paphus, inquit Phurnutus, peculiare Veneris domicilium. Paphiae nuncupatae: forte per figuram ἔλλειψιν, id est defectum ἀπὸ τοῦ ἀναφίσκειν, quod decipere est. habet enim Venus, iuxta Hesiodum μειδήματα τ´ ἐξαπάτας τε, hoc est, risusque, deceptionesque. Iuxta uero Homerum, subdola uerba, animum quae et fallunt sapientum. hoc est, πάρφασιν, ἥτ´ ἔκκλεψε νοὸν καίπερ φρονεόντων. Ne mirere, si in citando Phurnuto non edita exemplaria plerunque sequor. nam apud me est manu scriptus codex, illis et castigatior, et locupletior. Illud hoc loco tantum dixerim, hanc orbicularem in metam crescere: aliam, quam in Venere Vrania retulimus, quadrangularem Hermiae in morem fuisse.

Acraea Venus, cuius in Gnidia facta est mentio. Strabo de Cypro loquens, ait Carpasiam urbem stadiis XXX uersus insulas Carpasias esse, ubi et mons et promontorium. montis summitas Olympus dicitur, ubi Veneris Acraeae templum. Fuit et Ascraea Venus, cuius mentio est apud Pausaniam in Corinthiacis. Sunt qui scribant, Acraeae Veneris templum mulieres nec uidere, nec adire fas fuisse: sicuti Eunosti fanum in Tanagra adeo mulieribus interdictum fuit, ut si quo [p.555] infortunio aut uastitate Tanagraei opprimerentur, diligenter inquirerent, ne qua mulier consulto aut casu templo Eunosti appropinquasset.

Apaturias Venus: de hac ita in undecimo scribit Strabo, ubi de Phanagoria agit, emporio apud Scythas Maeoticos: Phanagoriae est, inquit, insigne Veneris Apaturiae templum. id nomen interpretantur, fabulam quandam afferentes, quod cum gigantes Venerem adorti essent, illa Hercule inuocato, tamdiu in latebris quibusdam latitauit, donec sigillatim Gigantes excipiens dolo Herculi occidendos exhibuit. ἀπατάω quippe est fallo, et decipio. hinc est ἀπατοῦρον templum ipsum Veneris nuncupatum, ut prodit Stephanus. hinc et Apaturia celebritas, de qua sic Eusebius Pamphili in libro de Temporibus: Anno mundi circiter MMMMLXXX. Erechtheidarum imperio destructo, Atticorum principium regni ad aliud genus translatum est, cum Timoeten prouocasset ad pugnam Xanthus Boeotius: et Timoete recusante, Melanthus Pyliensis Andropompi filius suscepisset singulare certamen, ac deinde regnasset. hinc et ἀπατουρίων, id est fallaciarum solennitas celebrabatur, quia ad Victoriam fraude processerat. Sed hanc historiam locupletius tibi ex Suida recitabimus. Ἀπατούρια, inquit, celebritas Athenis celebrabatur, in qua Sitalci Thracum regis filius ciuitati ascriptus. quatuor autem dierum ea fuit. primam diem δορπίαν appellabant, quod sodales ad uesperam in unum coacti epularentur, secundum ἀνάῤῥυσιν, a sacrificando: nam Ioui Sodali et Palladi sacra faciebant. tertium κουρεῶτιν, id est puellarem uocabant, quod scilicet pueros et puellas, id est κούρους et κούρας sodalitati ascriberent. quartus dies ἐπίβδη dictus est. Horum autem dierum festorum talis causa fuisse dicitur. Bellum erat Atheniensibus aduersus Boeotios de Celaenis uico, qui in confiniis erat. Xanthus autem Boeotius Thymoeten Atheniensium regem prouocauit: quo recusante, Melanthius Messenius a Periclymeno Nelei filio generis originem ducens, imperii causa pugnare sustinuit. quare cum singulari certamine pugnarent, quidam hircina nigra pelle indutus, post Xanthii terga Melantho apparuit: ipsum igitur inique facere dixit, quod cum comite ueniret. quo dicto, respicientem Xanthium interfecit. unde et festum ἀπατούρια, hoc est deceptoria cognominata fuit: et Dionysii Melanaegidos templum struxerunt, ut in Dionysii cognominibus recitauimus. Sunt qui Apaturia pro homopaturia dicta esse uelint, quod patres, ut liberos curiae ascriberent, conuenirent: ut a, pro simul accipiatur. De Apaturiis Herodotus in primo. meminit et Xenophon in primo Hellinicon, et Tertullianus: sed plenius Simplicius in Physicis Aristotelicis, itemque Hesychius, aliique. [p.556] Cognominata est etiam Pallas hoc nomine, ut in ea dictum est.

Melinaea Venus, dicta est a Melina urbe Argiua, ubi colebatur, ut scribit Stephanus. Lycophron, τὴν καστανίαν τε μελιναίαν θεὸν: id est, hanc Castaniamque deam.

Cluacina Venus a Romanis culta, dicta (ut Plinius scribit libro decimoquinto) quod cluere antiqui pugnare dicebant. T. Liuius libro tertio: Ac nutricem prope Cluacinae ad tabernas. licet in hoc loco sint qui non Cluacinam, sed Cloacinam legere malint: de qua suo loco. Plinius: Quippe ita traditur, myrtea uerbena Romanos Sabinosque, cum propter raptas uirgines dimicare uoluissent, depositis armis pacificatos, in eo loco qui nunc signa Veneris Cluatinae habet. Cluacinam porro quidam

Venerem armatam interpretantur, cuius templum non procul a foro fuit.

Anadyomene Venus cognominata, quae ex mari exiret. Plinius libro trigesimoquinto: Venerem exeuntem a mari Diuus Augustus dedicauit in delubro patris Caesaris, quae Anadyomene uocatur, uersibus graecis tali opere dum laudatur uicto, sed illustrato. huius enim inferiorem partem corruptam qui reficeret, non poterat inueniri. uerum ipsa iniuria cessit in gloriam artificis. Consenuit haec tabula carie, aliaque pro ea Nero in principatu substituit suo, Dorothei manu. haec Plinius. Sed non modo poetae Anadyomenes meminere, sed et philosophi. Plutarchus et Artemidorus libro secundo.

Ἀμβολογήρας Ἀφροδίτης, hoc est Veneris senectam differentis: huius Veneris simulachrum Pausanias in Laconicis tradit a Spartanis ex oraculo erectum fuisse.

Mechanites etiam cognominata, eodem Pausania teste. id nomen ei deae et operibus eius conuenit: unde et illa Polymechanos cognominata meretrix, a uario concubituum genere. Porro et Minerua, eodem Pausania auctore, in Arcadia culta eodem nomine fuit, quod artium et consiliorum inuentrix fuerit.

Phosphorus, Veneris stella matutina: Ἕσπερος, id est, Hesper, et Vesper, uespertina eadem. Cicero secundo de Natura deorum, Apuleius, Martianus, caeteri. Δελέφατ uero a Chaldaeis dicta.

Ἄδικος Venus dicta in Libya, ut Hesychius notat. Βαιῶτις autem a Syracusanis, Ἐλείμων in Cypro et Chalcedonia. alicubi et Ἐριέντης. Cyprii uero Venerem Ἔγχειον uocabant, Gnossii Ἄνθειαν, Syracusani Ἐυδώσω: Carchedonii, id est Carthaginenses Ἐπήκοον. Μιλίτης etiam alicubi uocata Venus. atque haec quidem fere ab Hesychio et Phauorino. Porro et Ἐρωτοτρόφος etiam cognominata, hoc est, Cupidinis nutrix.

Hospita etiam Venus, hoc est graece Ἀφροδίτη Ξείνη appellata ab Aegyptis, ut Herodotus scribit libro secundo. Nam cum de fano [p.557] Protei ageret, ita propemodum scribit: In Protei, inquit, fano aedes est, quae Veneris Ξείνης, id est hospitae appellatur, quam Herodotus ipse coniectura ductus, existimauit Helenae Tyndari filiae, quae apud Proteum ipsum diuersata fuerit, et eo nomine uocata. Historiam totam, si libet, lege apud historicum ipsum.

Momemphita Venus, et praefectura, id est nomos apud Aegyptios, de quibus Strabo libro decimoseptimo. Huic deae sacram uaccam alebant, quemadmodum Memphitae Apim, et Heliopolitani Mneuin boues, quos pro deis nutriebant.

Aeneis praeterea Venus, etiam ab Aenea nuncupata est, ut Alicarnasseus Dionysius scribit in primo historiarum. Frugi demum Venerem dictam inuenimus, ut apud Festum: Fruginal, inquit, templum Veneris frugi, ut Frugutal Iouis. alii licet Frutinal legant, apud Festum, dictum esse Veneris templum Frutae. Et hucusque de Venere dictum sit: cui iure Vulcanum et Adonim subdidimus, tum Cupidines et Charites subiungemus, ut totam tibi Veneris cohortem muneri mittam.

CUPIDO.

Venerem, et eius cognomina plurima, quam potuimus breuissime descripsimus: nunc propositum sequentes ordinem, Cupidinem, hoc est Amorem subiungemus. Nam Latini, ut ait Seruius, Cupidinem uocant, eo quod faciat amorem. Sed Vergilius graecos imitatus, uno nomine utrunque significat. Amorem dixit deum in illo,

Ergo his aligerum dictis affatur amorem.

idque discreuit epitheto. Sed cum haec perpetua non sit Seruii obseruatio (nam et Propertius ita cecinit,

Quicunque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem) ne in re minime dubia plures afferam: ideoque nos indiscrete utroque nomine hac Syntagmatis parte utemur. M. Cicero primum in tertio de Natura deorum tres nomine Cupidinis enumerat, quorum primus, inquit, Mercurio et Diana prima natus dicitur, secundus Mercurio et Venere secunda: tertius quidem (inquit) est Anteros, Marte et Venere tertia genitus. haec Cicero. Plato in Symposio scribit, Cupidinem natum ex Poro Metidis, id est Consilii filio, et Penia, id est inopia: quod plerique omnes magno mysterio a Platone confictum prodidere. quae si minus placeant, quae a philosophis Platonicis traduntur, uel prolixiora sunt, accipe quae paucis Eusebius pie et religiose scribit. Plato, inquit, in Symposio allegorice pro paradiso Iouis hortos appellat, pro serpente deceptionem Peniae, quae Poro insidiata est: pro uiro autem primo, quae Dei consilium atque prouidentia quasi nuperrime natum filium produxit, Consilii filium Porum nomine posuit: inde natus Cupido, Veneris [p.558]

obsequentior seruus, quia in Veneris natalitio festo die ortus erat. praeter Eusebium lege et in quarto aduersus Epicureum Celsum, Originem. Sed iam quae caeteri graeci scriptores tradunt, afferamus: qui Cupidinem, cuius filius fuerit, uarie enunciant. quidam enim (ut graeci tradunt Theocriti expositores, aliique praeterea) ex Chao et terra natum fabulantur, ut Hesiodus. Orpheus item ex Chao primum apparuisse, et Phaneta illum appellare uidetur: Simonides ex Venere et Marte: Acusilaus, ex Nocte et Aethere: Alcaeus, ex Lite et Zephyro: Sappho, ex Venere et Coelo. Olen Lycius in hymnis, ex Ilithyia, id est Lucina natum cecinit. Sedenim quod Mercurii filius crederetur, Eusebius et alii ideo traditum aiunt, quod amandi uis et uirtus orationi attribuitur. Vergilius in primo Aeneidos Venerem facit ita Cupidinem alloqui:

Natae meae uires, mea magna potentia solus,
Nate patris summi.

Vbi Seruius: Nate meae uires, quia uenerea uoluptas exerceri sine amore non potest. aut secundum Simonidem, qui dicit Cupidinem ex Venere tantum esse progenitum: quanquam alii dicant, ex ipsa et Marte: alii, ex ipsa et Vulcano: alii uero Chaus et primae rerum naturae eum esse filium uelint. Hesiodus Erota et Himerum, quo utroque nomine Amor significatur, Veneris sectatores facit. quo loco Scholiastes philosophatur, differentiamque inter eos ponit. Erota enim, id est Cupidinem, ex aspectu amare: ἵμερον uero, id est desiderium post aspectum desiderare facere ait. ut si pulchrum, inquit, librum aspicias, propter cultum et literas ames, et possidere cupias: ecce hic ἔρως est. Sed ἵμερος post possessionem adeptam, illius discendi nascitur desiderium, et quae in eo scripta sunt assequendi: et caetera, quae ille scribit. transfert enim Amorem hunc, et Cupidinem, ad caetera quaeque negotia. Cupidinem Psychen amasse, eamque sibi copulasse, fabula narrat, quam lepidissime Apuleius executus est in Metamorphoseis et Fulgentius in Mythologicis ex graecis auctoribus est interpretatus. Meminit et Martianus, qui Psychen ait Apollinis et Endelechiae filiam. Plures autem Cupidines antiqui scriptores, et poetae in primis finxere, ut est apud Claudianum in Honorii et Mariae epithalamio: item apud Papinium, a quo forte Claudianus desumpsit. Et ante hos Propertius libro secundo Elegiarum cecinit,

Obuia, nescio quot, pueri mihi turba minuta
Venerat, hos uetuit me numerare timor.
Quorum alii faculas, alii retinere sagittas,
Pars etiam uisa est uincla parare mihi.
Sed nudi fuerant: quorum lasciuior unus, et reliqua.

Certe et illo suo dicendi filo Apuleius in decimo Cupidines cum matre Venere [p.559] diuersos et lasciuientes describit. Phurnutus etiam plures ait Cupidines, propter scilicet πολυτροπίαν, id est morum uaritatem. Sed in Imaginibus pulcherrime a Philostrato describuntur: Ecce, inquit, ἔρωτες, id est Cupidines mala colligunt. quod uero multi sint, ac innumerabiles, ne admireris. Nympharum enim filii sunt, mortalium genus moderantes: multique ideo, quod multa sint ea quorum mortales amore ducantur. Coelestem autem Cupidinem diuina in coelo facere tradunt: mox Cupidines ipsos pharetras ac sagittas aureas habere describit, omnesque nudos esse, nec quidem coronas in capite habere. satis quippe illis coma. Pennas coeruleas ac puniceas habent, nonnulli etiam aureas. Calathos porro habent, in quibus poma deponunt. gemmis ornati sunt, smaragdis, sardonyce, et margaritis, a Vulcano compositis. In arbores deuolant, sine scalis, ad poma legenda. Inter hos uero quatuor formosissimos esse scribit: duo inuicem malis se petunt, duo reliqui sagittis: non iratis quidem uultibus, quod ita interpretatur. Principium amoris mittere poma, sagittas uero Amorem perficere. Addit et idem Philostratus luctam ipsorum Cupidinum, rem utique iocosam. tum etiam de lepore quaedam subdit, ut uidelicet cadentia poma ambedunt, et ut insequantur Cupidines. Addit praeterea de leporis natura multa, et de Venere, quorum pleraque iam in Venere retulimus. Sane idem scriptor alio loco, Cupidines scribit frenis cygnos compescere, et eos regere: quodque dei pueri sint, qui libenter cum auibus ludant, et per stagnantes aquas eos agant, ac si essent in hippodromi stadio. Sed quomodo Cupido deus pingatur, pulchre in Elegia a Propertio libro secundo describitur, ex qua hi uersus:

Quicunque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Hic primum uidit sine sensu uiuere amantes,
Et leuibus curis magna perire bona.
Idem non frustra uentosas addidit alas,

Fecit et humano corde uolare deum.
Scilicet alterna quoniam iactamur in unda,
Nostraque non ullis permanet aura locis.
Et merito hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Gnossia utroque iacet.
Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo uulnere sanus abit.

Sic Propertius. Apuleius quoque Cupidinem suo illo Milesio dicendi genere elegantissime in Asino describit. Seruius etiam Honoratus in I. Aeneidos. Sane, inquit, Cupidinis nomen ratione non caret. nam quia turpitudinis est stulta [p.560] cupiditas, puer pingitur: item quia imperfectus est in amantibus sermo, sicut in puero: alatus autem ideo, quia nihil amantibus leuius, nihil mutabilius inuenitur, ut apud Virgilium ipsa Didone probatur. Sagittas uero iccirco gestare dicitur, quia et ipse, ut illae incertae uelocesque sunt. Plutarchus apud Stobaeum, Quod amor non sit iudicium: Quamobrem, inquit, Cupidinem facem gestare, hoc est πυροφόρον poetae tradunt, et plastae ac pictores effingunt: quoniam quod ignis splendidum est, suauissimum: quod uero καυστικὸν, id est adustiuum, molestissimum. Sed postquam haec attigimus, audiamus et Alexandrum Aphrodiseum in libro Problematum (sint, non sint eius, quid ad nos?) qui hanc pulcherrime est executus: cuius uerba, ne hic prolixior sim, meo arbitratu interpolata recitabo. Problematis hoc est initium: Cur amantium extremae partes modo frigidae sunt, modo calidae: cumque in spem et desperationem causam retulisset, subdit: obque hanc ipsam causam pictores Amorem nunc tristem pingunt et quiescentem, nunc uolantem et ridentem. puerum uero mutabilem, quia cupido uehemens quidem est, non tamen diuturna et perpetua. Item paulo post: Facem uero habere fingunt, atque esse pinnatum, quia amantium animi suspensi tolluntur, suntque mutabiles ceu uolucres. Et mox: Tenet autem dextra gladium, uel ut alii habent codices, sagittam: sinistra uero pharetram, et quamplurimas sagittas: quoniam a principio quidem ex uno oculorum radio amor oritur, qui radius sagittae similitudinem habet. Quod autem multas in pharetra sagittas habere uideatur, quoniam amantes occultos emittunt radios. tum et illud sequitur: Nudum autem fingunt, quia absque medio desiderium est, manifestoque euenit. neque enim ob aliud quispiam amat quicquam, neque clam, neque quod ignoret. quocirca et statuarii et artifices nonnunquam nudos deos et reges effingunt, ut eorum adapertas uirtutes, et manifestas, nec occultas ostendant. Porro non unum Cupidinem, sed plures esse ferunt, quia diuersi rerum sunt amores. aliter enim atque aliter amamus: unde et Plato, multorum capitum esse belluam Amorem dixit. haec quidem ex Aphrodiseo, meo (ut dixi) arbitratu excerpta. Sed et Phurnutus pene consimilia de Cupidine scribit. Idem scribit et Proclus in Sophista Platonis, ubi et illud ait, Cupidinem Sophistam etiam appellatum, et magum, dum generatione animas naturalibus rationibus mulcet, et allicit, adeo ut aegre a generatione amoueantur. Multiceps uero, quoniam sibi essentias uitasque multas uendicauit, per quas uarietatem generationis disponit. Si minus haec quae adhuc scripsi, de Cupidinis imagine fecerint tibi, quaeso et legas Moschi pulcherrimum poema quod Ἔρως δραπέτης, id est Cupido fugitiuus inscribitur, in quo Venus ipsum, eiusque naturam ostendit. [p.561] Legitur et Aeneae Syluii, qui Pius secundus Romanus Pontifex postea fuit, elegia, eodem picturae argumento: itemque Marulli epigramma, quae apud ipsos legas, ne nimius sim. Fuit et in curia Octauiae, ut scribit Plinius, Cupido fulmen tenens, cuius auctor nesciebatur. id affirmabatur, Alcibiadem fuisse principem forma in ea aetate: in cuius clypeo ita erat pictus. Et memini hoc argumento ad Coelium nostrum lusisse Cynthium. quin et fractum fulmen ipsum tenuisse Cupidinem, sic canente uiro docto,

Aligerum fulmen fregit Deus aliger igne,
Dum demonstrat uti est fortior ignis Amor.

Fuerunt et antiquis celebratae statuae Hermerotes, ex Mercurio et Cupidine confectae: de quibus alibi meminimus. Sed iam de pictura satis. Sedenim antiqui in gymnasiis Cupidinem inter Mercurium et Herculem posuere, eum amorem significantes, qui ex ratione et uirtute nasceretur. Quinimmo et Samii gymnasium illi constituerunt, teste Athenaeo. Ecloge legitur Ausonii poetae de Cupidine, ab heroinis patibulo crucis affixo: ut et meminit Lactantius, si recte remetior. Verum iam Amoris nomina interpretemur. Ammonius sane et Phornutus, aliique,

Cupidinem his tribus nominibus uocatum tradunt, Ἔρωτα, Πόθον, et Ἵμερον. Quos ait Pausanias in Attica, a Scopa effictos, tam specie inter se differentes, quam operis artificio. Ἔρως igitur per omega, ipsum Cupidinem et flagitiosum amorem significat, hoc est Amores, ut dicimus, et notant grammatici. Ἔρος uero per omicron, pudicum et bonum amorem significat. quod discrimen an recte statuatur, non disquiro, cum inter legendum apud idoneos auctores non ita ratum offenderim, ut illi praecipiunt. Ἔρωτα autem dictum ait Plato, et Phornutus, ab inquisitione amati. ἔρειν enim pro ζητεῖν, id est inquirere, capitur. Plotinus tamen ab aspectu et uisione deduxit. Ἔρως ait quasi ὅρασις. ad quam rem illud perbelle Propertii deducimus,

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Scribit etiam Hesychius, quod ideo Cupido ὀμμάτειος, id est oculeus uocatus sit, quod ex aspectu amor concipitur. Et in Achillis amoribus ὀμματοπάλογχα dicta sunt. πόθος uero desiderium dictus, quod amantes iis frui desiderent quae pulchra uenustaque uisa sunt. Nam (ut nosti) ποθέω est desidero, et cupio rem proprie quae absit, nec praesens sit. Vnde et quidam inde deductum uolunt πόθον, quia amantes dilectos saepe percontentur ac interrogent, πόθεν ἔρχονται, καὶ ποῦ ἦσαν, hoc est, unde uel uenerint, uel ubi fuerint. [p.562] Scribit et Plinius, Scopa fecit Venerem, et Pothon, et Phaethontem, qui Samothraciae sanctissimis cerimoniis colebantur. Phurnutus et hoc ait, quod dictus sit πόθος ab osculorum imitatione: unde et παππᾶς denominationem habuisse scribit.

Ἵμερος autem dictus, uel quasi ἥμερος, id est cicur et mansuetus, nec syluestris. tales enim Amor, dum sui compos est, homines efficit. quin et gentium quidam scriptores Ἵμερον ipsum Cupidinis fratrem ideo scripsere. unde mirum etiam, quosdam sine afflatu in prima hoc nomen notare. Vel dictus, ut Phurnutus ait, ἀπὸ τοῦ ἵεσθαι, hoc est, ab incitando, quod feratur ad ea quae formosa sint.

Sed et πτέρως, id est, alatus, uel pennatus a Platone in Phaedro uocatur. hinc et Cicero de Natura deorum eundem latine pennatum Cupidinem uocat. a Phornuto uero πτερωτὸς dictus, quasi dicas uolans et pennatus, quod scilicet leues faciat, et amantium cogitationes uagas, et in auis modum ipse ideo uolare uideatur. Iuxta quam sententiam a nostris Aligerum cognominatum uidemus, ut ante scripsimus.

Ergo his aligerum dictis affatur Amorem.

Et ab Orpheo Πτερόεντα.

Sagittarius etiam, id est Τοξότης Amor nuncupatus est, quod amore capti ab aspectu, quasi uulnere a longe feriantur, neque audeant formosos attingere: uel contra, quod ab aspectu formae cupitae uulnerentur. Τοξαλκὴς ab Orpheo ideo uocatus. Certe illud admirandum de Cupidinis telo legimus, quod in templo Dianae apud Ephesum pependisse ferunt, nullis penitus laqueis mandatum: quod in septimo de Architectura Baptista Leo recitat.

Geminus Cupido cognominatus, non modo ut mater Venus Gemina, qua de re Plato in Symposio multa, quod scilicet coelestis sit et terrenus: sed etiam propter geminum sexum. hinc Seneca in tragoedia,

Quam uocat matrem Geminus Cupido.

Quin et alii non Geminos, sed (ut diximus ante) tres et quinque, et plures.

Tyrannus Cupido a Platone dictus est, quod in generosos et nobiles animos bacchari et saeuire, tyrannidemque exercere uideatur, id quod et Euripides illo uersiculo, quem et Abderitae deliri canebant, ostendit, σὺ δ΄ ὦ θεῶν τύραννε κ΄ ἀνθρώπων Ἔρως. Id est, Tuque o deum tyranne et hominum Cupido. quin etiam Proclus in Platonis sophista, Amorem magum appellauit, ut supra dictum est.

Harpys deus a rapacitate Amor uocatus est. hac uoce usus est Parthenius in Crinagora, ἀμφοτέρας ἐπιβὰς ἅρπυς ἑλκίσατο. Quin etiam fabulae tradunt, Erinnyn furiam ab Amore amatam fuisse, ut impotentiam ac impetum significarent insane ac deperdite amantium.

Phanes etiam dictus est Amor, quod ex Chao primus apparuerit, quod Orpheus et Lactantius aiunt. Macrobius tamen solem Phaneta interpretatur, quoniam quotidie φαίνεται νεὸς, id est nouus appareat. meminit et [p.563] Hermias in Phaedro Platonis nec semel. Vt illud, τὸν φάνητα, ὅπερ ἐστὶ πέρας τῶν νοητῶν. id est, Phaneta, qui est finis intelligibilium deorum.

Ψίθυρος Ἔρως, hoc est, nugax et loquax Cupido, Athenis cognominatus cultusque fuit et eodem cognomine Venus, ut est apud Arpocrationem.

Pharetratus a nostris Cupido cognominatus est. Ouidius in elegia,

Nullus amor tanti est, abeas pharetrate Cupido.

Item uulgare illud,

Caecus et alatus, nudus puer, et pharetratus.

Socrates in Symposio Xenophontis, inter alia multa quae de Amore disputat, ideo Pharetratum dici ait, quod forma procul inspecta, amantem quasi sagittis quibusdam feriat.

Πανδαμάτωρ Ἔρως cognominatus, id est omnium domitor, frequens est apud Graecos. Hinc notissimum est distichon:

Perfringunt, penetrant, urunt mea spicula fulmen,

Scilicet hinc nomen est mihi Πανδαμάτωρ.

Caunius Cupido uocatus, quod in Cauno urbe coleretur, ut ait Hesychius. Possumus et ab aestu deriuare, qui fit ex amore. unde et illi ardentes faces attribuebant antiqui: uel quod Amor καυνοὺς homines reddat, id est difficiles et malos.

Ἀμφιθαλὴς Ἔρως, id est, undique germinans Cupido dictus, quod mutuus sit et reciprocus amor. Aristophanes in Auibus et grammatici. tametsi ἀμφιθαλεὶς etiam dicuntur, quibus uterque parens adhuc generat.

Sanctus Amor et Cupido a nostris saepe dictus. Tibullus in II.

Sancte ueni dapibus festis, sed pone sagittas,

Et procul ardentes hinc praecor abde faces.

Catullus,

Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces.

Idem et Venerem sanctam ad Mallium uocat,

Quem neque sancta Venus molli requiescere somno,

Desertum in lecto coelibe perpetitur.

Sed de Sancto alias plura.

Thespius praeterea Cupido nuncupatus, a Thespiis, ubi colebatur, ut Strabo in nono, et Ouidius, M. Cicero in Verrem. quin etiam ut est apud Athenaeum, ex Erexia, Cupidinea, quae et Thespia uocata fuere, festa celebrabantur a Thespiis. de quibus et Plutarchus in Erotico: ex his enim sermonis originem sumit. In Helicone, inquit, apud Musas, o Flauiane, Thespiis Erotica agentibus: certamen enim agunt quinquennale, ut quidem Musis et Cupidini illustre et honoratum. Plinius libro trigesimosexto: Eiusdem, inquit, Praxitelis est Cupido, obiectus a Cicerone Verri, ille per quem Thespiae uisebantur, nunc in Octauiae scholis positus. eiusdem et alter nudus in Pario colonia Propontidis, par Veneri Gnidiae nobilitate, et iniuria. Adamauit enim eum Alchidas Rhodius, atque in eo quoque simile amoris [p.564] uestigium reliquit: ut in Venere retuli.

Caecus Cupido fingitur, hoc est τυφλὸς. Scribit in decimo Edyllio Theocriti interpres, super ea poetae uerba, τυφλὸς δ΄οὐκ αὐτὸς ὁ Πλοῦτος, ἀλλὰ καὶ ὠφρόντιστος Ἔρως, hoc est, Caecus non modo Plutus, uerum etiam delirus Amor: Nota, inquit, quod antiqui duos caecos dicebant, Cupidinem et Plutum. nam qui amat, caecus est: Quid faciat, non uidet ullus amans. nam deformem amat mulierem, quae illi uidetur pulcherrima esse. haec enim est caecitas, sicut et Amor caecus. Caecus ergo amor, caecos efficiens, id est τυφλοποιὸς. facit namque amantibus, quae non sunt, pulchra uideri. De Pluto alibi agemus. Plutarchus in libello de Captanda utilitate ab inimico, ait a Platone Amorem caecum dictum, quod amantes in re amata caecutiant. Sed quod etiam oculatus dicatur, iam est ostensum.

Anteros nomen Cupidinis, amorem reciprocantis. Et licet alias de Anterote scripserim, et de hoc Coelii nostri libellus extet, nolui tamen non hic meminisse. Historia apud Pausaniam in Attica legitur de Timagora et Melete, a quorum miserando interitu statua et ara ab Atheniensibus Anteroti posita: quae tamen historia diuersa uidetur ab ea quam pluribus est Suidas executus. nam Meletus, non Meles, apud eum legitur: et amator, non amatus. Sed hoc tum in Symbolis Pythagorae, tum in Poetarum dialogis planius ostendimus. Est et Melanippi et Charitonis alia de Anterote historia apud eundem Suidam, qui ambo mutuo se sunt amore prosecuti, unde sit Ἀντέρωτος nomen. Fuerunt ad haec in Eleorum gymnasio parte quapiam, Amoris et Anterotis imagines: Cupido quidem palmae ramum manu tenebat, quae ab eo auferre Anteros nitebatur. quae res ansam praestitit aliquibus ut non reciprocantis dei, sed auertentis magis crediderint. quos Seruius in quarto commentario Aeneidos Virgilianae sequi uisus, super ea poetae uerba,

Tum si quid non aequo foedere amantes

Curae numen habet, iustumque, memorque precatur.

inquit enim: ᾿Αντέρωτα inuocat contrarium Cupidini, qui amores resoluit, aut certe ui curae est iniquus amor. Apud Platonem Socrates probrosum Amorem criminatur, quem dei, inquit, πνιγμὸν, hoc est suffocationem ueri amoris nuncupant: quem Proclus est interpretatus aliter, quam a me exponitur, diuinum scilicet amorem, animas a corporibus abstrahentem. Anterotis porro meminit et Cicero de Natura deorum, ut supra dictum est. Porphyrius quoque philosophus de Anterote apologum sic propemodum recitat: Cum, inquit, Cupido infans parum coalesceret, Venus Themin deam consuluit. quae Veneri responsum dedit, Cupidini Anterota necessarium esse, qui rependat uices, ut mutuam uicissim dent operam. Cui Venus acquiescens, Anterota, quasi Anticupidinem dicas, genuit: [p.565] quo uixdum nato, Cupido adolescere coepit, et alas pennasque explicare. quin quoties praesens Anteros adesset, Cupido formosior et procerior: absente illo, contra accidere uidebatur. Aliqui, inter quos Alciatus, Anterota amorem uirtutis esse existimarunt, ipsumque superare Cupidinem. unde est carmen illud,

Aligerum, aligeroque inimicum pinxit amori,
Arcu arcum, atque ignes igne domans Nemesis.
utque aliis fecit, patiatur. at hic puer olim,
Intrepidus gestans tela miser lachrimat.
Ter spuit inque sinus imos (res mira) crematur
Igne ignis, furias odit Amoris Amor.

Atque hactenus de Cupidine. nunc subscribemus Adonin, et Gratias, quas Veneris et Amoris comites putauere gentes.

ADONIS

Adonis, qui et Adon, deus a diuersis nationibus cultus, ea ratione Veneri est a nobis coniunctus, quoniam (ut scribit Seruius) eum Veneri ita ueteres iungebant, ut Dianae Virbium, Atyn Cybeli. Adoneus uero etiam a Plauto in Menechmis dictus: sed ab Ausonio duobus in locis Bacchus dictus, de quo plura in eius dei Syntagmate diximus. Fuit uero Adonis Cynarae Cypriorum regis filius, et eius filiae Myrrhae, cuius fabulam lepidissime descriptam apud Ouidium uideto in Metamorphoseis, cuius allegoriam in tertio Mythologicon Placiades Fulgentius exponit. Fabulantur praeterea, ut Phurnutus scribit et interpretatur, Adonim sex menses apud Proserpinam, et sex alios apud Venerem fuisse: idque interpretantur quidam de frumentis et frugibus in terra satis, quarum rerum Adonis symbolum esse existimabatur, ut etiam in commentariis in Theocritum legitur. Dictum Adonim Phurnutus ait, ἀπὸ τοῦ ἅδειν τοῖς ἀνθρώποις, id est, ab eo quod hominibus canat. Adonis apud Phoenices Gingres dictus, ut Democlides apud Athenaeum scribit in quarto. unde sunt Gingrae, et Gingrinae tibiae, quarum etiam Festus meminit. uide etiam Pollucem libro IIII. Idem Adonis Thamuz, uel ut D. Hieronymus, Thamus ab Hebraeis uocatus est. In commentariis in Iezechielem: Quin Thamus, inquit, mense Iunio amasius Veneris pulcherrimus iuuenis occisus, et deinceps reuixisse narratur. eundem Iunium mensem eodem appellant nomine, et anniuersariam ei celebrant solennitatem, in qua plangitur quasi mortuus, et postea reuiuiscens canitur. haec Hieronymus. a Persis ᾿Αβωβὰς, a Cypriis uero Γάβαντα, uel (ut scribit Hesychius) Πυγμαίων, immo etiam Φερεκλέα uocatum legimus. Sunt qui duos Adonidis nomine fuisse putent, Cyprium alterum, alterum Byblium: qui, ut in plerisque deis gentilium sit, confunduntur. [p.566] Stephanus in libro de Vrbibus: Amathus, inquit, Cypri ciuitas uetustissima, in qua Adonis Osiris colebatur, qui cum Aegyptius esset, Cypri et Phoenices proprium fecerunt. De sacris Adonidis, et fletu, etiam mentio est in sacris Hebraeorum literis, quo in loco plura D. Hieronymus, nec minus Macrobius in primo Saturnaliorum. sed longe plura Lucianus in libro de dea Syria: qui copiose eos sacrorum ritus uel describit, uel potius ridet. Gratius poeta in libro de Venatione,

Flet adhuc, et porro flebit Adonim, Victa Venus.

Hinc et Orpheus in hymno ab honore lachrymarum, qui illi impendebatur, Δακρυότιμον nuncupat. Meminit et fletus huiusmodi cum alibi Theocritus, tum in Edyllio XXIII., quod Adonidis epitaphium inscribitur. Adonia autem ea celebritas a Graecis uocabatur, de qua in historiis proditum, quod cum Athenis mulieres ea agerent, urbe tota simulachra erigebantur, circumque sepulchra et passim exaudiebantur foeminei planctus, quae res sinistrum augurium Atheniensum classi in Siciliam proficiscenti fecisse exitus ostendit, ut pluribus Plutarchus in Alcibiade et Nicia docuit. De

Adoniis et Ammianus Marcellinus libro XXII. historiae, Euenerat, inquit, iisdem diebus annuo cursu completo, Adonia ritu ueteri celebrari. Adonidis etiam templum insigne Strabo libro decimosexto describit. Adonidis uero horti frequenti prouerbio celebrantur, de florentibus et infructuosis, cuius prouerbii etiam philosophi, Plato in Phoedro, et Aristoteles meminerunt. Praxilla poetria graeca Adonidis leuitatem notauit in illo, cum ait, ipsum apud inferos interrogatum, Quae pulcherrima apud superos uidisset? respondisse ait, solem, cucumeres, poma. De Adonide, et eius hortis, Pausanias meminit. Hesychius item alterum prouerbium commemorat, quod est, οὐδὲν ἱερὸν, hoc est, nihil sacrum: quod ab Hercule tractum est, qui cum primum uidisset Adonim, dixerit, Nihil sacrum. uide praeter Hesychium, et Erasmum. Eusebius in Praeparatione euangelica et D. Augustinus in Ciuitate Dei, scribunt, antiquos allegorice per Adonim significasse tum perfectos fructus, tum deciduos flores. Adonim interemptum fabulae ferunt, apri dente inuidia Martis immisso. unde et Venus suem semper est abominata, ut in Venere attigimus. Est in fabulis proditum, Adonim a Venere inter lactucae folia occultatum fuisse. unde est illud docti uiri carmen:

Inguina dente fero suffossum Cypris Adonin
Lactucae foliis condidit exanimem.
Hinc genitali aruo tantum lactuca resistit,
Quantum eruca salax uix stimulare potest.

Sed quod Adonis a Venere in lactucis sit occultatus, alii de Phaone Lesbio tradidere, ut planius in Historia poetarum, in Sappho prodidi. [p.567] Scribit Phurnutus in Cerere, Adonim ideo a sue sublatum fuisse, quod segetibus semper sus noceat, et eas uastare soleat. Seu huius animalis dens uomeris dentem significat, quo sub terra conduntur semina. Sane legimus in XV. Edyllio Theocriti, quod sit Τριφίλητος Adonis cognominatus: quae uerba ab interprete ita exponuntur, quod a tribus deis Adonis amatus fuerit, Ioue, Venere, Proserpina. alii tamen Τριφίλητος interpretantur pro Πολυφίλετος. haec enim particula τρίς tam graecis quam latinis in compositione saepe auget. sic etiam apud Homerum Ἀσπασίη τριφίλητος dictum est.

Risi apud uirum doctum, Adonin positum pro Veneris cognomine. quis unquam legit Venerem hoc nomine cognominatam? Numen quidem legimus Adonim Veneri iunctum, ut Dianae Virbium, ut Matri deum Atyn, Mineruae Erichthonium. Hyginus quoque scribit in Astronomico poetico, Venerem cum Proserpina ad iudicium Iouis uenisse, cui earum Adonim concederet: quibus Calliopen a Ioue datam iudicem, quae Musa Orphei mater fuit. itaque Calliopen iudicasse, uti dimidiam partem anni earum unaquaeque possideret. Venerem autem indignatam, quod non sibi proprium concessisset, obiecisse omnibus quae in Thracia essent mulieribus, Orpheum, ut sibi quaeque appeteret, membraque eius discerperent. Extat demum Orphei hymnus, quem ille Adonidi cum suffimento aromatum concinuit, in quo mystice de Adonide multa. Sane Lucianus Adonis etiam fluuii nomen esse ait, de quo et mira narrat. Est etiam hoc nomine piscis, cuius in primis Aelianus meminit, qui et exocoeton eum uocari ait, quod extra mare in arida cubet: Adonin uero dici, quod nunc humi, nunc in mari degat. sic, ut Adonis a deabus, terrestri altera, marina altera fuit amatus.

VULCANUS.

Vulcanus deus existimatus a gentibus, a Graecis Ἥφαιστος appellatus, quasi φάεος ἵστωρ, id est luminis praeses addita η, ut Socrates apud Platonem exponit. uel ut Phurnutus ait, ἀπὸ τοῦ ἥφθαι, id est ab incedendo. Nostri antiquitus Volcanum appellabant, quasi Volicanum, ut Seruius scribit. Varro: Ab ignis iam maiore, inquit, ui ac uiolentia Volcanus dictus. Vulcanum ex sola Iunone natum canit Hesiodus, hoc carmine:

Iuno Vulcanum nulli commixta in amore Edidit.

quem multi secuti sunt, inter quos Apollonius Rhodius in primo, quod eius planius ostendunt interpretes. idem et Ouidius. Lucianus in eo qui est de Sacrificiis: De Iunone, inquit, ferunt, nempe hanc citra uirilem congressum subuentaneo conceptu grauidam, puerum edidisse Vulcanum, [p.568] atque eum quidem non admodum fortunatum, uerum excusorem, et fabrum aerarium, quique perpetuo tum igni tum in fumo uersetur, ac scintillis oppletum: quippe cuius ars in fornacibus exerceatur. Tum autem, ne pedibus quidem integris. claudicare enim e ruina, cum a Ioue praeceps datus esset e coelo. Quod ni Lemnii pro sua bonitate, eum dum adhuc ferretur in aere, suscepissent, perierat

Vulcanus. Hactenus Lucianus. at Isidorus: Ideo, inquit, fabrorum fornacis Vulcanum auctorem fuisse dicunt, quia sine igne nullum metalli genus fundi extendique potest. Sedenim Homerus Vulcanum ex Ioue et Iunone natum scribit, quas opiniones Phurnutus de Natura deorum explicat, et allegorias interpretatur. Vulcani plures fuere, ut notat M. Cicero in tertio de Natura deorum. Primus Coelo natus, ex quo et Minerua Apollinem, eum cuius in tutela Athenas antiqui historici esse uoluerunt. Secundus Nilo natus, Opas, ut Aegyptii appellant, quem custodem esse Aegypti uolunt. Tertius ex tertio Ioue et Iunone, qui Lemni fabricae traditur praefuisse. Quartus Maenalio natus, qui tenuit insulas prope Siciliam, quae Vulcaniae nominantur. Seruius libro octauo Aeneidos, Vulcanus, inquit, quasi Volicanus dicitur, quod per aerem uolet. Ignis enim e nubibus nascitur. unde Homerus dicit eum de aere praecipitatum in terras, quod omne fulmen de aere cadit: quod quia crebro in Lemnum insulam iacitur, ideo in eam dicitur cecidisse. Claudus autem dicitur, quia per naturam nunquam rectus est ignis. Phurnutus et alias rationes affert, cur Claudus dicatur. At Aegyptiorum sacerdotes, teste Diodoro, affirmant Vulcanum primum regnasse in Aegypto, ignisque inuentorem, quo beneficio Aegyptii ducem eum constituerunt. cum enim arbor ictu fulminis in montibus conflagrasset, ligna propinqua hyberno tempore a flamma sunt comprehensa. qua ex re Vulcanum calore laetatum, deficiente igne illi materiam addidisse ferunt, et eo modo aliis etiam ignem ostendisse, tanquam a se inuentum. Lucretius tamen poeta fortuito hoc accidisse canit. Eusebius quidem in Praeparatione euangelica ignis uirtutem Vulcanum appellatam dicit, et in forma hominis ei simulachrum constitutum, in cuius capite pileus esset caeruleus, coelestis symbolum uolutionis. ubi integer sincerusque ignis inuenitur: nam qui e coelo in terram delapsus est, cum imbecillior sit, materiaque indigeat, claudicans fingitur. Vulcani uero uxor Venus dicta est. Cincius tamen uetus rerum Romanorum scriptor apud Macrobium, Maiam dixit. Piso uero non Maiam, sed Maiestam ait. Quidam alii Gratiarum unam illi attribuunt. nam, inquiunt, quae arte fiunt, gratiam habere oportet (ut alibi etiam diximus) et Venerem quandam, ut ait Phurnutus. Sed ut notat Strabo in primo, quae perfecta et ad excellentiam fieri dicebantur, Vulcani opus, ut etiam Mineruae, et Gratiarum, Musarumque. [p.569] Illud etiam subdit Phurnutus, quod ideo Mars dicitur Vulcani uxorem adulterio cognouisse, quia ferrum et aes igne domantur. ferunt praeterea fabulae, cum Mineruam in capite gestaret Iupiter, Vulcano usum fuisse ad ipsam edendam, ut etiam in Dialogis ante Phurnutum Lucanius scripsit. Sed iam cognomina et reliqua subiungamus.

Lemnius deus Vulcanus dictus est. Vergilius in octauo,

Haec pater Aeoliis properat dum Lemnius oris.

Ouidius,

Lemnius extemplo ualuas patefecit eburnas.

Lemnius autem dictus, quoniam in Lemnum insulam cecidit, a Iunone propter deformitatem deiectus. alii ab Ioue dicunt, ut Phurnutus: quem aerem esse constat, ex quo fulmina procreantur. Ideo autem Vulcanus de femore Iunonis fingitur procreatus, quod fulmina de imo aere nascantur. quod et Lucanus innuit:

Fulminibus terrae propior succenditur aer,

Pacem summa tenent.

Hac eadem ratione Ouidius Vulcanum Iunonigenam uocauit. Ex Iunone enim uel mythice, uel physice gigni uidetur. Scribit Seruius, Vulcanum e coelo in Lemnum cecidisse: idque fingi ea ratione, quia Vulcanus uidetur esse fulminis ignis, qui crebro in Lemno insula cadit. Quod uero ibi colatur, notum est. Vnde illud in Priapeis,

Tutela Lemni dispares mouet gressus.

Item,

Tardo gratior aestuosa Lemnos.

Et illud,

Vulcanum tellus Hypsipylaea colit.

Quia, ut notum est, in Lemno regnauit Hypsipyle: Statius, et Ouidius, alii. Lemniaca etiam stirps dicitur Vulcanus, ab eodem Ouidio in Metamorphoseis. Philostratus in Heroicis de Philoctete, Lemnia gleba liberato: In Lemnum, inquit, cecidisse Vulcanus dicitur: Gleba quidem ipsa Lemnia insanos expellit morbos, sanguinis profluuium sistit, hydris serpentibus occurrit, eorumque morsibus. Galenus de simplicibus medicamentis Vulcanum ait in Lemnum ideo existimatum in fabulis decidisse, quod eius terra exusta esse uideatur, in eaque parte nihil nasci nisi terram, quae Lemnia uocatur a medicis: quae quod exempta sigillo signetur, graece Sphragis, a

nostris sigillata uocatur. Dioscorides signari signo caprae, et appellari Sphragida aegos, id est caprae sigillum. Galenus uero ait: Sphragis uocatur, quod Dianae signum habeat a sacerdote impressum. tum etiam oppidum prope, quod legitur Hephaestiada nuncupatum, quod in eum locum Vulcanus ceciderit.

Mulciber Vulcanus, ut ait Festus, dictus est a mulcendo, id est molliendo ferro. uocatur et Mulcifer, eadem causa. Lucanus in primo, Ora ferox Siculae laxauit Mulcifer Aetnae. quin etiam eundem fabricae Ferrariae praesidem fecere, illique festa, quae Chalcea dicebantur [p.570] ab Atheniensibus, instituta: de quibus et Pollux in septimo. hinc et ductor Ferreus uocari uidetur in Priapeis,

Ductor ferreus insularis, aeque
Laternae uideor fricare cornu.

Plautus in Amphitryone, Quo ambulas tu, qui Volcanum in cornu conclusum geris? alii licet non ductor, sed uectes legant, a uecte laternae Phari. Ego quid sentiam in re tam obscoena, cur afferam nulla est causa. Sedenim et Vulcanalia Romani celebrabant, eique tum feriae, ut ait Varro, et eo die populus pro se in ignem animalia mittebant. Sextili uero mense agebantur, ut alibi docuimus: quo tempore Plinius Secundus, altero Plinio teste, lucubrare incipiebat. Finxere quidam poetae officinam habere, hanc autem tum in Lemno, tum in Vulcaniis insulis, aliisque locis, in quibus ignis aestuare solet.

Aetnaeus deus dictus est Vulcanus: quin et nunc uulgo Aetna mons, Mongibelus uocatur, quasi Mulciber: quoniam sic Vulcanus appellatur, ut modo dictum est. Sane non omittenda historia, uel potius daemonis illusio, quae a plerisque prodita est, de templo Vulcani in Aetna, quod circunseptum fuisse ferunt, et arbores inibi consecratas. In eo ignis fuit perpetuus, et inextinguibilis. Canes ad templi et luci custodiam astitisse, qui adeuntibus caste et religiose blandiendo associantes comitabantur, uti dei familiaribus. In scelestos uero et contaminatos, si uel templum, uel lucum ingredi uellent, irruebant, et mordicus eos appetentes lacerabant, caeteris allatrabant.

Ignipotens etiam appellatus est Vulcanus, a Vergilio in octauo, et aliis, uel quia ipse ignis, uel eius inuentor: uel iuxta tabulas, quod cum Cyclopibus, Bronte, Sterope, et Pyracmone, seu Arge, fulmina Ioui fabricet, et deorum arma, ut Homerus, Hesiodus, Vergilius, caeteri: unde hoc,

Ignipotens coelo descendit ab alto,
Ferrum exercebant uasto Cyclopes in antro,
Brontesque, Steropesque, et nudus membra Pyracmon.

Phthas Vulcanus nuncupatus ab Aegyptiis, ut De mysteriis Iamblichus ostendit. Sunt et qui a Memphiticis Aphthas appellatum scribant. Ego certe illud apud Ciceronem libro tertio de Natura deorum, quod supra citaui, Secundus Nilo natus Opas, ut Aegyptii appellant, Phthas legendum crediderim. Prouerbium fuit apud antiquos, ἀφθάς σοι λελάληκεν, hoc est, Vulcanus tibi uaticinatus est, ut docet Suidas. Illud hoc loco notant grammatici, ita dici Aphthas pro Phthas, ut etiam astachys pro stachys, et alia nonnulla, A adiecta.

Ἐλωὸς Vulcanus a Doriensibus dictus est, ut ait Hesychius.

Κυλλοποδίων, teste Theophilo, cognominatus est Vulcanus, quod claudus esset. id enim κύλλος significat. Eadem ratione et [p.571] Χωλοίπους, ut notant Nicandri interpretes in Theriacis, qui et ipsum ideo Χαλαίποδα, et Κυλλοίποδα cognominatum tradunt. a Catullo Tardipes ideo uocatus,

Scripta tardipedi Deo daturum.

Quare uero claudus dicatur, iam supra dictum est.

Ἀμφιγυήεις quoque Vulcanus appellatus, in primis ab Hesiodo in Theogonia, item in Ergis, id est claudus utroque pede: ubi de Pandora agit. Item ab Homero in fine Iliados, quod et Cyrillus contra Iulianum in tertio notat.

Leguntur in Vulcanum hymni duo, alter Orphei, Homeri alter, in hoc Κλυτόμητις, et Κλυτωτέχνης cognominatur, hoc est inclyti consilii et artis, quodque cum Minerua homines ex antris eduxit, ut in domibus habitarent: in illo diuersis et uariis nominibus inuocatur, Κρατερόχειρ, id est manu potens, et Τεχνοδίαιτος.

PANDORAM non quidem deam legimus, sed tamen a deo Vulcano Iouis iussu factam. nam ut Hyginus prodit, cum Prometheus primus homines ex luto finxisset, postea iussu Iouis Vulcanus mulierem finxit. cui Minerua animam dedit, caeterique dei alius aliud donum dederunt: ob idque Pandoram nominarunt. Scribit Hesiodus, mulierem fuisse

formosissimam et a deis haec habuisse munera, sapientiam a Minerua, decorem a Venere, musicam ab Apolline, a Mercurio eloquentiam. haec ab Ioue in terram demissa fingitur, ut homines falleret ac deciperet: et Epimetheo fatuo Promethei fratri in uxorem est data. hanc igitur omnibus formae, cultus, ingenii, linguaeque dotibus cumulatam, Iupiter cum pyxide pulcherrima illa quidem, sed intus omne calamitatum genus abscondente, ad Prometheum misit: qui recusauit munus, et fratrem monuit, ut si quid ei muneris mitteretur, dum ipse abesset, ne reciperet. Mox cum Pandora rediisset, Epimetheo persuasit, pyxidemque illi dono dedit. quam simulac aperuisset, omnia intus mala abscondita et calamitates euolarunt: sed sola spes in pyxidis fundo remansit. ad quam rem scriptores alludunt, et Erasmus in prouerbio perstringit, Malo accepto stultus sapit. Sunt qui hanc primam mulierum fuisse tradant, ut Pausanias in Atticis. Aristophanes tamen Pandoram pro terra caepisse uidetur, quod ex terra uidelicet omnia dona proueniant. Tertullianus Septimius in libro de Coronis, ait Pandoram foeminarum primam coronatam fuisse a Charitibus, cum ab omnibus muneraretur: unde est appellata Pandora. De Pandora et Irenaeus, uir sanctissimus, et doctissimus nec semel libro secundo aduersus Haereses, et in primis ubi de Paulo Apostolo agit. Palaephatus libro Incredibilium, Pandorae fabulam sic interpretatur, quod ex terra ipsa cum formata esset, aliis foeminis similem formam dederit, quod uidelicet diues mulier fuerit, [p.572] quae sese exornare soleret, quoties ex aedibus prodiret: eoque se pigmento ornabat, quod a terra confectum erat. atque haec quidem de Pandora.

Admonuit me, quod supra de Pandora scripsi, ut et hoc loco aliquid de Prometheo et Epimetheo fratribus, Iapeti filiis, scribam. Et licet Hesiodus eos commemoret in Re rustica, nihilominus mihi potius uisum est ambos fratres ex Claudiani carminibus describere. Atque de Prometheo quidem in quarto Panegyrico consulatus Honorii Augusti, ita ille canit:

Disce orbis, quod quisque sibi quum conderet artus
Nostros, aethereis miscens terrena Prometheus,
Sinceram patri mentem furatus Olympo,
Continuit claustri, indignantemque reuinxit.
Et quum non aliter possent mortalia fingi,
Adiunxit geminas: illae cum corpore lapsae
Intereunt: haec sola manet, bustoque superstes
Euolat. hanc alta capitis fundauit in arce,
Mandatricem operum, prospecturamque labori.
Illas inferius collo, praeceptaque summae
Passuras dominae, digna statione locauit.
Quippe opifex ueritus confundere sacra profanis,
Distribuit partes animae, sedesque remouit.
Iram sanguinei regio sub pectore cordis
Protegit imbutam flammis, auidamque nocendi,
Praecipitemque, sui rabie succensa tumescit,
Contrahitur tepefacta metu: quumque omnia secum
Duceret, et requiem membris uesana negaret,
Inuenit pulmonis opem, madidumque fluenti
Praebuit, ut tumidae ruerent in mollia fibrae.
At sibi cuncta petens, nil collatura cupido,
In iecur, et tractus imos compulsa recessit:
Quae uelut immanes referat dum bellua rictus,
Expleri pascique nequit, nunc uerbere curas
Torquet auaritiae, stimulis nunc flagrat amorum,
Nunc gaudet, nunc moesta dolet, satiataque rursus
Exoritur, caesaque redit pollentius hydra.

De Epimetheo uero alibi idem poeta Claudianus his uerbis canit,

Namque ferunt geminos uno de semine fratres
Iapetionidas, generis primordia nostri,
Dissimili finxisse manu: quoscunque Prometheus [p.573]
Excoluit, multumque innexuit aethera limo,
Hi longe uentura notant, dubiisque parati
Casibus, occurrunt fabro meliore politi.
Deteriore luto prauus quos condidit auctor,
Quem merito Graii perhibent Epimethea uates,
Et nihil aetherei sparsit per membra uigoris,
Hi pecudum ritu non impendentia uitant,
Nec res ante uident, accepta clade queruntur,
Et sero transacta gemunt, etc.

Potuissem et longe plura de his fratribus afferre, quae consulto praetermisi: nam et Phurnutus totam fabulam Promethei, et allegoriam est executus apud graecos. Sed et Fulgentius in Mythologico, qui non ab aquila

eius iecur corrodi, sed a uulture, idque perbelle interpretatus est. cui et Petronius Arbiter in his hendecasyllabis congruit,

Cui uultur ultimum pererrat,
Et pectus trahit, intimasque fibras,
Non est, quem tepidi uocant Poetae,
Sed cordis mala, liuor atque luxus.

Quin et Seruius grammaticus in sexta Ecloga totam hanc fabulam recitat, et interpretatur. Diximus praeterea in Syntagmate de Sacrificiis, quo pacto Prometheus Iouem in parte sacrificiorum elusit. ossa enim pelle contecta, Ioui proposuit: quod Lucianus, et Hyginus pluribus tradidere. Sed iam satis, ne te et me his nugis onerem.

CHARITES, GRATIAE.

Gratiae, quas graeci Charites uocant, tametsi a me pluribus sunt descriptae in libello, Quomodo ingrati crimen effugiamus, pro instituto tamen et hoc loco nonnulla referenda sunt. Hae quidem ab aliquibus Iouis et Eurynomes filiae dictae sunt, ab aliis Eurymedusae, uel Eurydomenes: ab aliis Euanthes. Sunt qui Iunonis filias dicant, quidam Liberi patris et Veneris tradidere, nonnulli comites. Orpheus in hymnis ad ipsas, quem concinuit cum thymiamate styracis, eas Iouis et Eunomies filias ait. Antimachus Aegles et Solis filias existimauit: quidam Eteoclis, et ideo in primis a Theocrito Eteocleae uocantur in XVI. poemate, quod Χάριτες inscribitur, atque omnia haec ab ipso Gratiarum effectu nomina conficta esse uidemus, [p.573] ut graeca eorum nominum interpretatione liquet. Pindari tamen expositores Eteocleas Gratias dictas fabulose uolunt, ab Eteocle Cephisi filio: qui primus, teste Hesiodo, Gratiis sacra fecerit. Pausanias in Boeoticis Eteoclen scribit Andrei et Enippes ex Leuconoe genitae filium, Cephisi tamen creditum, primum Gratiis sacrificasse. Strabo Eteoclen Orchomeniorum regem primum scribit Gratiarum templum extruxisse, eumque propterea celebrat, quod in accipiendis et erogandis gratiis, fuerit suapte natura propensus. Constantinus Caesar libro Geoponicon undecimo: Eteoclis, inquit, filiae Charites saltantes ad aemulationem dearum, in puteum, extra choream euolutae, delapsae sunt. Sed Tellus earum cladem miserata, plantas uirides produxit, quae hominibus iucundae, et earum inducunt memoriam: et duplici nomine nuncupatae, Cyparissi scilicet, et Charites. Et quidem Cyparissi, quod similes et pariant ferantque ramos et fructus: Charites uero et Gratiae, propter delectationem, quod ipsum etiam apud Heronem in libris de Re rustica Didymus scriptum reliquit. Ergo Charites, ut etiam Phornutus ait, ἀπὸ τῆς χαρᾶς dictae sunt, hoc est a laetitia. Sed et notissimo graecorum adagio ταῖς Χάρισι σπένδειν, id est Gratiis sacrificare, ii iubentur, qui tristes et soliciti sunt. Quinimmo et Charitam Venerem Plinius XXXV. capite X. dixit, pro ea quae picturis et imaginibus est uenustatis gratia. Gratias aliqui duas, alii tres, quatuor alii esse dixerunt. Duae Gratiae feruntur, quoniam promereri hos decet, alios gratias referre conuenit: hoc est, dare et reddere beneficium. Et ut prouerbium monet, χάρις χάριν τίκτει, Gratiam Gratia parit. Quin et Lacedaemonios duas coluisse legimus, Clytam uel Clyto, et Phaennam, Taygetae filias. Athenienses eas Auxo et Hegemona uocitarunt: quarum utrarumque nomina, si nostro sermone referre uelimus, ex iis plane elucere uideas, qualis futura sit gratia. Alii tres esse putauere, quod cum foenore referenda sit gratia. hinc illa auersa fingitur, quae promeretur: ne uidelicet beneficium cum exhibes, remunerationem spectes, sed tantum ad promerendum. quae autem referunt, duae sunt, quae se recto lumine intuentur, quod diligens et accurata esse debet remuneratio, et duplicata. sic exponit Fulgentius, quod omnis gratia cum exit, exilis, cum redit, onerata esse debet. Extant harum signa complura uetusta, quorum unum fuit Romae in aedibus Columnesium, cum epigrammate non illepido, quod etiam habetur et legitur. Quod quatuor esse ab aliquibus traditur, Horas respiciunt, et Καιροὺς, qui dicuntur et a nostris tempora et partes anni. Atque eas etiam ratione coronatas, unam floribus fructibusque terrae, alteram spicis et frumento, tertiam uuis pampinisque et pomis, ultimam oliuis, caeterisque similibus. Hinc apud antiquos Apollo [p.575] fingebatur manu dextera Gratias gestare, quod eae anni partes e sole proueniant. Macrobius putat, ideo Apollinem dextera Gratias gestasse, sinistra arcum et sagittas, quod ad noxam sit pigrior deus, et promptior ad salutem. Libet hoc loco altius aliquanto repetere, quae de Horis annotaui. Horas Homerus ait coeli portis praeesse, curamque habere ut modo serenum, modo nubilum sit. a quibus uideri possunt quatuor anni tempora, Horae appellata, non

Graecis modo, sed et Latinis. Horatius de Ioue: Variisque mundum Temperat horis. Ouidius Homerum imitatus, cum Iano foribus coeli ascripsit, ita Iano loquente primo libro Fastorum,

Praesideo foribus coeli, cum mitibus Horis.

Hinc, ut Scholiastes Hesiodi scribit, ἀπὸ τοῦ ὠρεύειν quod est custodire, dicuntur. Credebantur enim non modo Iouis aulae custodes esse, sed et hominum acta obseruare: unde et οὗρος custos dicitur. Plato in Cratylo: Horae, inquit, Attica et prisca uoce dicendae. Horae nanque dicuntur διὰ τοῦ ὁρίζειν, id est propterea quod terminent hyemem et aestatem et flatus, et qui sunt ex terra fructus. Macrobius uero Horas dictas ait, quod Horus Apollo et sol dicatur. Orpheus in hymno,

῾῀Ωραι θυγατέρες Θέμιδος καὶ Ζηνὸς ἄνακτος,

᾿Ευνομίη τε, Δίκη τε, καὶ Εἰρήνη πολύολβε, εἰαριναὶ: hoc est,

Sunt horae natae Themidis, summique Tonantis,

Eunomieque, Diceque, Irene et ualde beata, Vernantes.

Idem ait et Hesiodus. Sed quam Eunomien uocat Orpheus, ipse Eurynomen, ab ampla scilicet distributione. Dice ab iustitia, Irene a pace dicta. quin et Horae pro deis cultae, et eis templa a gentibus constructa, apud Pausaniam legimus. Olen uero uates antiquissimus a Xantho, ab Horis Iunonem enutritam, suis carminibus, prodidit. P. Ouidius noster libro Metamorphoseon II. Horas Solis asseclas cum aliis temporis partibus facit. ita enim canit:

A dextra laeuaque Dies, et Mensis, et Annus,

Seculaque, et positae spaciis aequalibus Horae.

Idem uero in Fastorum libro quinto, Florae Horas comites facit. ita enim Flora ipsa ait:

Conueniunt pictis incinctae uestibus Horae,

Inque leues calathos munera nostra legant.

Sedenim de Horis, quibus nox et dies distinguuntur, in libro de Annis mensibus, etc. plenius diximus. Nunc illud tantum, Horas plerosque a Gratiis diuersas facere. in primisque Diodorus est Siculus, qui ita in Cretensium Theologia: Ex Ioue, inquit, Cretes natam uolunt Venerem, Gratias, Lucinam, Dianam: et eas quas dicunt Horas, Eunomiam, Iustitiam, Pacem, Pallada, Musas. Idem paulo post: Gratiis, inquit, Iupiter dedit, quae ad oris speciem, ac partium corporis [p.576] formam, decoremque spectent, insuper et beneficii et gratiae retributionem. tum etiam illud subiungit: Earum quas Horas appellant, datum est suum cuique munus, ad uitae cultum, et mortalium commoditatem. nihil est enim ad uitae hominum felicitatem comparandam utilius, quam εὐνομία, δίκη, et εἰρήνη, id est, lex, iustitia, et pax. has Horas in Apollinis hymno Homerus, cum Gratiis choreas ducere canit, coram Ioue. Athenienses, cum Horis sacra facerent, carnes non assabant, sed elixabant, ut Philochorus scribit: deas uidelicet rogantes, ut aestus siccitatesque auerterent: id quod et sacrum ipsum indicabat. Ipsarum imagines Philostratus Lemnius exequitur in Imaginibus. Caetera quae de Gratiis restant, iam proferamus. Eleos Gratias ita formasse legimus, ut una rosam, altera talos, tertia myrti ramum manu praeferret: quod scilicet Gratia hilaris, amabilis, reciproca, hoc est ultro citroque collata et uirens esse debet. Gratiae nudae, id est γυμναὶ Χάριτες etiam prouerbio dicuntur: quia manifesta et clara debet esse uel gratia, uel retributio. id quod Stoici pluribus contendebant, ipsique in libellis tum Ad ingratum, tum in eo, Quomodo ingrati crimen sit effugiendum, ostendimus. Sane et Iamblichus apud Stobaeum: Gratias, inquit, principes ingenue proferant non tantum ex dolio, id est ἐκ πίθου effundentes, ut poetae dicunt: nec eas ex eiusmodi aliis instrumentis introclusas: at nudas et reuelatas, atque ab externo aliquo uelamine erga se inuicem habentes: et caetera. De capsulis, seu arculis Gratiarum, copiose alibi scripsi. Quidam tamen Gratias perspicuis uestibus ac splendidis indutas scripsere, quod talis esse debet remuneratio: quin eas ideo Horatius solutis zonis cecinit. Vel ut eius ueteres interpretes Acron et Porphyrion exponunt, ea uidelicet ratione, quod inter se amici animos solutos ac nudos habere debent. Πάρθενοι, id est uirgines ac puellae Gratiae uocantur, et alacres ac ridentes, quod gratiam nulla fraude, nullo dolo, sed mundam ac puram esse conuenit. Decentes Gratiae ab Horatio cognominatae sunt, in illo,

Iunctaeque nymphis Gratiae decentes.

Mercurium insuper ueteres Gratiarum ducem constituerunt, id profecto innuentes, quod non temere, sed cum delectu gratificari debemus: quod alibi docui ex uariis scriptoribus. Quare autem Proetidas dixerit Hesychius Charites, et εὐδαλαγῆνες haud facile dixerim. Veluti facillimum illud, τρίζυγοι

Χάριτες, hoc est, Triiuges Gratiae. Orchomeniae sorores appellantur, quod apud Orchomenum Boeotiae colerentur: atque in eo lymphis se perfundere dictae.

Καλλιπάρηοι Χάριτες, id est pulchrigenae, ab Hesidio in Theogonia aliisque nuncupatae. Gratiarum uero nomina uaria traduntur. Clytan, [p.577] uel Clyto, et Phaenam Lacedaemoniorum diximus, Auxo et Hegemona Atheniensium. Hesiodus Euphrosynen, Aglaian, et Thalian. Homerus, Pasitheam unam Gratiarum facit, quem secutus est Papinius libro secundo Thebaidos,

Non hoc Pasitheae blandarum prima sororum.

Quo loco Lactantius Pasitheam unam esse inquit Gratiarum. Sed postquam incidimus in Pasitheae mentionem, de ea hoc loco nonnihil agamus.

Mnesimachus comicus poeta, Pasitheam putauit Charitis sororem, uxoris Vulcani in Lemno, atque a Somno amatam: qui et ipse ea causa fertur in Lemno habitasse. Pasitheae quidem et Homerus in Iliade meminit. Hanc quidam Euphrosynam esse existimant. Hesiodus autem eam Nereidum unam facit, dictam quod omnibus esset admirabilis, uel quod ad eam omnes properarent: hoc est, ὅτι παρὰ πᾶσι θαυμάζεται, ἢ εἰς ἣν πάντες θέουσι.

Fuit et Pasithoa nymphae nomen, Oceani et Tethyos filiae. Sed et Pasitheam quidam Cybelen uocari autumant, quasi πᾶσι θεοῖς μητέρα, id est omnibus Deis matrem: illud ex Galliambo Catulli allegantes, Trepidantem eam recepit dea Pasithea sinu. Porro et Suidas tres scribit sorores, filias Leontis fuisse: Pasitheam, Theopen, et Eubulen. Leos Orphei filium habuit Cylanthum, et filias tres, quas cum Attica laboraret pestilentia, uel potius fame (ἐλίμωζε enim legitur, non ἐλοίμωζε) in eius rei piaculum Leos, uel Leon (uariant enim graecorum exemplaria) filias proprias mactauit, et inde mox est ciuitas liberata: locus Leocorion, a patre et puellis, in Ceramico uocitatus est. Historiae meminit Strabo, sed puellarum nomina non attulit. Item in Attica Pausanias. Sed et M. ipse Cicero libro de Natura deorum tertio: Denique, ait, in Ceramico est delubrum Athenis, quod Λεωκόριον nominatur. Et ita castigate legendum. Locus est corruptus apud D. Hieronymum in Iouinianum, quem ipse emendare non ausim. Sed ut ad rem redeam. Scribunt nonnulli Pasitheam unam Gratiarum, quae tres sunt: Ἀγλαία una, quae nobis dici potest Maiestas, seu uenustas, honestasue: Euphrosyna alia, quae hilaritas, iucunditas, laetitiaque: Thalia tertia, festiuitas, lepiditasue, ac concinnitas.

Obseruant quidam Graeci, inter quos Proclus, quod Θαλεῖα cum diphthongo scripta Musae nomen est, et conuiuii epitheton: Θάλια uero per iota simplex, Gratiae nomen, et nymphae Nereidos. Sed hanc aliqui Pasitheam, quasi dixeris undique diuinam, quae scilicet maiestatem, hilaritatemque ac lepiditatem in sese, et alias quoque complicet. Hermesianax et Proclus, Pitho unam ex Gratiis dixerunt. Sappho, ut legitur in Scholiis in Hesiodum, Pitho ait filiam Veneris: quo loco in Ἔργοις scribit Pandoram a Gratiis et Pitho ornari. [p.578] Porro quoniam statim ab initio dixi, Eurynomen ab aliquibus matrem existimatam Gratiarum, eam Phigalei Arcades non matrem, sed Gratiarum unam, immo Dianae cognomen putant, ut in Arcadicis Pausanias tradit, Oceani filiam, cuius et in Iliade ab Homero sit mentio, quae una cum Thetide Vulcanum excepit abiectum. ipsum Homerum lege in sexto Iliados. Scribit etiam Phurnutus, Gratiarum unam Vulcano coniunctam: ea fortasse, inquit, de causa, quod quae arte fiunt, opera ἐπὶ χάριτι dicuntur. Vnde apud Plinium, Venerem, quam Charita dicunt, legimus: quod alibi etiam dixi. Eurynomes meminit et Apollonius in Argonauticis. Demum omnem Gratiarum allegoriam si fortassis nosse uelis, nostrum libellum legito, Quomodo quis ingrati crimen effugiat: in quo praeterea de Gratiis multa, ut meus est mos, colligere studui.

Epigramma, cuius supra memini, ascripsi, si minus eius tibi praesto sit exemplum:

Sunt nudae Charites, niueo de marmore: at illas
Diua Columna suis aedibus intus habet.
Par tribus est facies, qualem decet esse sororum:
Par tribus est aetas, par quoque forma tribus.
Grata Thalia tamen feminae conuersa sorori,
Implicat alterne brachia blanda soror,
Euphrosynen dextra stupeo, Aglaianque sinistra
Miror, et implicitis brachia nexa modis.

Iuppiter est genitor, peperit de semine coeli
Eunomia, et Veneris turba ministra fuit.
Inde alitur nudus placita sub matre Cupido,
Inde uoluptates, inde alimenta Dei.

CHARITES.

SYNTAGMATIS DECIMITERTII FINIS.